

DE  
JESU CHRISTI TENTATIONE  
COMMENTATIO.

---

QUAM  
AD SUMMOS IN S. S. THEOLOGIA HONORES  
RITE OBTINENDOS  
SCRIPTAM  
AUCTORITATE ORDINIS THEOLOGORUM  
IN  
UNIVERSITATE CAESAREA DORPATENSI

PUBLICICE DEFENDET

*Mauritius ab Engelhardt,*

S. S. THEOL. MAG.



---

DORPATI.

TYPIS HENRICI LAARMANNI.

MDCCCLVIII.

## ARGUMENTUM.

Pagg.

PARS I. Quid de tentatione Jesu Christi in solitudine evangelistae narrent et quid varii theologi eos narraſſe intellexerint, explicatur . . . . .	2—21
CAP. I. Trium synopticorum relationes quae sint et quomodo sese habeant tum inter se quum ad Joannis evangelium . . . . .	p. 2.
CAP. II. Theologorum de tentationis narratione variae sententiae . . . . .	p. 8.
A) Causae enumerantur, quae de veritate narrationis <i>dubitationem</i> moverunt . . . . .	p. 9.
B) Sententiae illorum proponuntur et dijudicantur, qui historiam non esse verbotenus veram, <i>veri aliquid</i> autem historiae inesse, contendunt . . . . .	p. 13.
C) Eorum sententia proponitur et examinatur qui narrationem <i>parabolen</i> esse opinantur . . . . .	p. 16.
D) De illorum opinione disseritur, qui narrationem <i>fabulam mythicam</i> esse putant . . . . .	p. 18.
PARS II. Scripturae sacrae de hominis et de Jesu Christi tentationibus doctrina . . . . .	22—60
CAP. I. De tentatione in genere . . . . .	p. 22.
CAP. II. De tentationibus hominis . . . . .	p. 24.
A) De tentatione hominis in statu integritatis . . . . .	p. 24.
B) De tentatione hominis peccatoris . . . . .	p. 34.
C) De tentatione hominis fidelis vel renati . . . . .	p. 35.
CAP. III. De tentationibus Jesu Christi . . . . .	p. 42.
CAP. IV. De diabolo Jesum tentante . . . . .	p. 57.
PARS III. De tentatione Jesu Christi in solitudine . . . . .	61—77
a) de ratione quae inter tentationem et baptismum intercedat . . . . .	p. 61.
b) de tentatione prima . . . . .	p. 63.
c) de tentatione secunda . . . . .	p. 67.
d) de tentatione tertia . . . . .	p. 73.
e) historiam tentationis esse veram . . . . .	p. 76.

Imprimatur

haec dissertatio ea lege, ut, quum primum ex officina emissa fuerit, legitimus exemplorum numerus tradatur collegio ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die 24. mens. April. 1858.

Dr. J. H. Kurtz,  
ord. theol. h. t. decanus.

(L. S.) Nr. 20.

D 70664

**I**nter ea, quae evangelistae de infantia ac juventute Jesu Christi tradunt, atque ea quae latius de vita publica Domini enarrant, duae res memorabiles produntur, quibus privata Jesu vita finitur, immo vero publica incipit. Quae res Jesu baptisma per Joannem in Jordano perpetratum et tentatio in solitudine sunt. Baptisma Jesu quatuor evangelistarum testimonio comprobatum, tentatio a tribus, qui synoptici nominantur, tantum narratur; ab Joanne nulla ejus fit mentio. Inter tres vero illos auctores Marcus summam breviterque, Matthaeus aequa ac Lucas ubertate rem tradit.

De utraque re, et de baptismo et de tentatione Jesu multum a theologis tractatum esse consentaneum videtur, quum nec parvi videantur momenti in vita salvatoris nostri conformanda nec paucas interpretibus praebeant difficultates. Nobis propositum est, tentationem Jesu Christi singulari dissertatione pertractare, speramusque fore, ut hac nostra opera aliquid conferatur, quo et melius intelligamus quid Jesus ita tentari potuerit et certiores fiamus, Jesum ita tentatum esse. Etiam si nemini continget, ut intima illa singularum vitae Christi partium mysteria plane ac penitus perspiciat, quia ut ipsa Domini persona ita quoque vita numquam funditus hominibus patebit, nihilominus nostrum est iterum atque iterum Dei verbum perscrutari ut indes augeatur cognitio ejus, qui est „veritas et vita“ (Jo. c. XIV, 6). Quod facturi praenuntiemus necesse est methodum biblico-historicam non dogmaticam nos adhibebituros esse.

## PARS I.

**Quid de tentatione Jesu Christi in solitudine evangelistae narrent et quid varii theologi eos narraſſe intellexerint, explicatur.**

**CAP. I. Trium ſynopticorum relationes quae ſint et quomodo ſeſe habeant tum inter ſe quum ad Joannis evangelium.**

Tradunt de Jeſu in ſolitudine tentato Matth. IV, 1—11; Luc. IV, 1—13; Marc. I, 12—13. Inter quos Matth. et Marc. tentationem protinus baptiſmati adjungunt, Lucas vero utramque rem interpoſita tantum Jeſu genealogia ſejungit. Poſt tentationem Jeſum iter feciſſe in Galilaeam ut in publicum prodiret, omnes hi ſcriptores narrent. Cujus vero itineris cauſam Matth. et Marc. Joannem baptiſtam captum faciunt, Lucas, quum jam antea (III, 19—20) baptiſtae ſortem commemoraverit, hoc loco ſilentio eam praeterit. Nulla itaque ſatis magna exſtat differentia inter tres auctores, ſi ordinem rerum historicum ſpectamus et de tempore, quando ſalvator ſit tentatus, quaerimus.

Quae tamen congruentia evangelistarum non ſufficit. Iſſae relationes et inter ſe et cum evangelio Joannis comparandae ſunt. Si exſtant differentiae, quae ſolvi non poſſint, quid factum ſit in ancipite eſt, vel potius res ipſa pro vera non eſt habenda. Nempe aliae relationes cum non adſint, qua trium illarum inter ſe discrepantium nitamur? Quomodo etiam tribus illis bene reſpondentibus credamus, ſi, quae narrent, cum iis non congruunt, quae ab Joanne de hoc vitae domini ſpatio referuntur? Praeſertim quum conſtet, Joannem Domini comitem conjunctiſſimum hoc vitae ſpatium accuratius diligentiusque enarraſſe.

Nec deſunt, qui reperiſſerint ſatis magnam addeſſe jam inter tres, quos memoravimus, auctores differentiam. Sed quo jure differentiam aut discrepantiam aliquis ſtatuat, ſi Marcus nihil aliud, niſi Jeſum quadraginta degiſſe dies in ſolitudine *πειραζόμενον ὑπὸ τοῦ σατανᾶ* narrat, Lucas vero Jeſum et per quadraginta dies et poſt illos eſſe tentatum, Matthaeus denique ſolum tres illas commemorat tentationes ſub ſine quadraginta dierum, quas et Lucas quadraginta diebus peractis factas eſſe enarrat? Dav. Strauss, cui differentia ſolvi non poſſe videatur, Matthaei relationi in hac re majorem quam Lucae tribuit auctoritatem<sup>1)</sup>. A. W. Meyer ſolum monet differentiam addeſſe manereque ſive Luc. IV, 1 *ἦγετο εἰς τὴν ἔρημον* ſecundum textum rec. ſive meliores teſtes ſequentes *ἦγετο ἐν τῇ ἐρήμῳ* legamus. Noſtra ſententia non tollitur differentia ſi *ἡμέρας τεσσαράκοντα* cum *ἦγετο ἐν τῇ ἐρήμῳ* jungimus<sup>2)</sup>, quum nihilominus verbis *πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου* id, quod per omnes illos quadraginta dies factum ſit, explicetur. Sin vero, ut vir doct. Dedeu vult, *πειραζόμενος* interpretamur *πειρασθῆναι* = ut tentaretur, attamen *ἡμέρας τεσσαράκοντα* ruruſum ſuppleamus necesse eſt. Via grammatices differentiam ſolvere non poſſumus. — Methodum aliam Graul ad hanc differentiam inter Lucam et Matthaicum tollendam commendavit<sup>3)</sup>. Diſcernendum eſſe contendit inter varias tentationes, inter illas, quae per quadraginta dies, et illas quae poſt eas factae ſint. Poſt quadraginta dies diabolum ipſum apparuiſſe et locutum eſſe ita ut Matthaeus et Lucas nobis narraſſerint, antea autem Jeſum aggreſſum eſſe oculorum obtutum effugientem. Quae viri doctiſſimi ſententia minime probari poſſe nobis videtur, quum Jeſus divini ſui ingenii acie videlicet in quavis tentatione diabolum, eſſi non apparuiſſet, quaſi cauſam principalem cognoviſſet. Neque textus verba ullam huic opinioni praebent anſam. Mittimus ergo hanc differentiam putantes, Lucam, cujus relatio haud dubie ſecundum locum teneat, initio ſummatim uti Marcum retuliſſe, Jeſum eſſe tentatum in ſolitu-

1) „Leb. Jeſ.“ ed. IV. I, 430. Cf. Schleiermacher „Ueber d. Schriften des Lukas“ p. 56.

2) Cf. Bengelii Gnomon ad Luc. 4, 2.

3) „Ueber d. Verſuchgeſch.“ Rudelb. Zeiſchr. 1844. Fasc. III, p. 43.

dine, postea vero singulas res latius enarrasse. Itaque quae Matthaeus de tentatione tradidit vera atque ipsa facta sunt <sup>1)</sup>.

Si quis interrogat, num liceat conjicere, Lucam evangelistam non satis accurate res enarrandas tractasse, nos nulla re impedimur, quin respondeamus evangelistas quamvis impletos Spiritu Sancto fidem historicam latius dictam semper quidem observantes numquam ex more annalium res nobis rettulisse. Ipse Lucas in enarranda eadem tentationis historia exemplum libertatis illius, quam diximus, optimum praebet, adornavit enim tentationes singulas alio modo quam Matthaeus, alio etiam quam quo factae sunt ordine. Matthaei relationem, si respicis ordinem, veram et primitivam esse amplius argumentis probare non opus est. Consentiant in eo interpretes ita, ut Schneckenburgeri et Br. Baueri sententia, Lucae relationem, quoad ordinem rerum atlineat esse primitivam, semota victaque haberi possit. Est enim apud Lucam gradatio interrupta; est in Lucae relatione res illa incredibilis, jussu domini ὑπαγε δὲ πλὴν μου Σατανᾶ omni effectu caruisse. — Qua re Lucas ordinem mutaverit Bengel ex suo more his fere indicavit: „Lucas gradationem observat in locis, describit desertum, montem, templum; Matthaeus eo temporis ordine describit assultus, quo facti sint“. Neque aliud in animo habuit Schleiermacher <sup>2)</sup> animadvertens, Lucae verisimile non fuisse Christum a diabolo primum e solitudine Hierosolyma, tum ex urbe in montes ductum esse. Non dubium igitur videtur quin Lucas locorum Matthaeus temporis rationem haberit <sup>3)</sup>. Differentia negari non potest, nequaquam autem fidem utriusque relationis minuit <sup>4)</sup>.

1) Alia explicandae differentiae via vix inveniri potest. Errant, qui tres tentationes exempla solum esse omnium quadraginta dierum tentationum contendunt. Erravit Krabbe „Vorlesungen über das Leb. Jesu“ p. 160, quum de loco nostro ita disserteret, ut quadraginta illis diebus minime certum definiri temporis spatium, ideoque nullam exstare differentiam, diceret.

2) „Ueber d. Schriften des Lukas“ p. 56.

3) Num Lucas, particula καὶ liberius res jungens et rejiciens particulam τότε, quae invenitur apud Matthaeum, id spectans fecerit, ut ordinem suum non esse ordinem temporis, indicet nos quidem in medio relinquimus.

4) Bengelium, qui ex differentia hac conjectit utramque relationem ex alterius relatione non pendere, sequi non possumus.

Neque magis quam hucusque memoratae aliae, quae etiam ad sunt, differentiae fidem evangelicae relationis impugnant. Marcus Matthaeusque perfectis tribus tentationibus angelos Christo adstitisse atque inserviisse tradunt. Quod si Lucas ignorasse videtur at diabolum in tempus tantum Jesum destituisse prodit (Luc. VI, 13), hujus illiusve evangelistarum relationi majorem non tribuemus fidem, imo potius hanc illa complebimus. — Sin vero Marcus breviter referens verbis ἦν ἐν τῇ ἐρήμῳ κ. τ. λ. addidit καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων, etiamsi solus hoc narraverit, nil inepti inauditique retulit uti Schleiermacher hanc ob rem a D. Straussio admodum laudatus censuit. Neque excogitavit hoc additamentum <sup>1)</sup> ut Christum quam simillimum reddat exemplo ipsius Adamo. Ejusmodi sensum nequaquam verbis relatis inesse, Meyer jure monet. Ipse tamen a Marco Jesum feris solitudinis circumdatum describi, quod sane inauditum esset, docens in errorem incidit. Euthymius Zig., Grotius, Kuehnoel recte Marcum hoc adjecisse dicunt „ut significaret non quamvis sed desertissimam fuisse hanc solitudinem“. Neque ullam habet vim quod Strauss contra hanc sententiam monuit: si ita fuisset, propius illi ἐν τῇ ἐρήμῳ adjungi neque post πειραζόμενος poni debuisse verba καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων. Itaque his verbis Marcus nil aliud nisi quam maxime potuit conspicuam Jesu conditionem lectorum oculis subjicere voluisse videtur, uti etiam alias, quae refert, illustrare conatur. Attamen nec hoc nec aliis locis Marci oratio poetica est (A. W. Meyer). Nam Jesus, si in solitudine, etiam μετὰ τῶν θηρίων fuit.

Itaque omnes differentiae in relatione historica synopticorum obviae examinatae dubium non reliquere, quid narraturi sint omnes illi auctores. Minime secundum veterem illum morem unam relationem ex altera complentes, planam, nulla discrepantia turbatam maginem componere possumus. — Jam ipsam rem ab evangelistis narratam, imprimis vero quo modo a diversis interpretibus intellectae essent, tractare possemus ni duo antea respicienda essent.

Primum quaerendum, quamobrem Marcus totam rem tam breviter summatimque tractaverit neque quidquam de singulis tentatio-

1) Usteri „Stud. u. Krit.“ 1832, pag. 789.

nibus prodat? Aequissimam saepe viam sibi muniunt, qui cum A. W. Meyer o censent tentationem a Marco simplicissimo atque antiquissimo modo narratam esse, et postea fabulam latius additamentis esse explicatam. Qua cum Meyeri sententia parum consonant et quae Schleiermacher protulit, in Marci relatione summam quasi medullam narrationis evanuisse, restitisse modo externam quasi testam additumque praeterea monstrosi vel fabulosi aliquid, — et quae de Wette judicavit, momentum ethicum tentationis in hac brevissima relatione plane deletum miserabilemque fabulam exortam esse. Tali modo dissentiunt inter se in Marci brevitate dijudicando, qui in eo consentiunt et Marci et aliorum relationes fictas fabulosasque esse. Qua diversitate temeritatis criticae testimonium dedere viri illi doctissimi. Orta enim est haec diversitas solummodo ex diversis sententiis de re prorsus aliena, utrum Marci relatio priorem locum teneat, an ex aliorum relationibus pendeat. Sin vero tentatio vera historia est, quod negari nondum potest, utraque sententia falsa est. Tunc causa brevitatis Marci possit esse, quod ipsi, qui tantum auditum rem compertam habuerit, certior nuntius non factus aut ipse rei auditae oblitus sit. Sin vero alia evangelia non ignoravit, breviter complexus est, quae latius illa jam narraverint.

Majoris momenti quaestio est, num res a synopticis pariter testata per evangelium Joannis aliqua ex parte examinari possit, atque ita si res se habeat, nonne differentiis difficillimis graves commoveantur dubitationes. Pro certo enim jam habemus, rem uti Joannes eam narravit, maxima esse veritate. — Joannem de tentatione tacuisse mirari non possumus, quum alias etiam neque paucas sed certissimas res silentio transeat, uti coenam domini. Qua de causa et de tentatione id fecerit, dicere non possumus<sup>1)</sup>. — Sed una ex parte, etiamsi Joannes de re ipsa tacuerit, ejus relatio ad examinandam synopticorum narrationem valet.

1) Rationem, qua Krabbe sibi Joannis de tentatione silentium causis firmavit (l. l. prael. VIII, pag. 158) mittimus. Neque satis considerata est a Neandro („Leben Jesu“ ed. V, pag. 112, Annot. 1) prolata causa: Joannem siluisse, cujus consilium fuerit modo eas vitae Christi partes, quas ipse arbiter cognoverit, enarrare. Si ita res se haberet, minime coenam Domini silentio praeterire poterat.

Secundum relationem synopticorum Christus post baptisma, cujus et Joannis fecit mentionem, tentatus est. Joannem nobis quid quovis post baptisma die factum sit, secundum veritatem maxima cum diligentia narrare, theologi quidam contendunt; itaque narrationem synopticam de quadraginta in solitudine peractis diebus pro vera non esse habendam, nisi quadraginta illi dies locum habeant in ordine dierum a Joanne commemoratorum. Quum igitur Joannes cap. I, v. 32 et 33 Judaeis profiteatur se Spiritum Sanctum descendantem in Christum (sc. post baptisma) vidisse, de ipso baptismatis die vero nil praedicet, e contextu narrationis quando et quo die Jesus sit baptizatus, esse eruendum. Qua ratione adhibita non esse dubitandum, quin die ante praedicationem de baptismo Jesu factam Jesus sit baptizatus. Itaque de baptismo inter versus 28 et 29 fuisset narrandum. Seriem dierum ergo apud Joannem illam esse: Jesu baptizato Joannes altero die de baptismo praedicat (v. 29 — 34); tertio post baptisma die (v. 35) Jesum esse agnum Dei iterum profitetur; quarto post baptisma die (v. 44) Jesus in Galilaeam proficiscitur. Joannem igitur non modo nihil dixisse de tentatione sed etiam talia narrare, ut tentationem non esse factam, eluceat. — His argumentis innisus D. Strauss veritatem historiae tentationis negat. — Nos vero veritatem narrationis synopticae et ex Joannis evangelio probari posse contendimus. Minime quidem illo modo, quo theologi quidam, inter quos Krabbe, rem probare conantur, qui dicant quadraginta dies non fuisse quadraginta dies sed spatium aliquod, ita ut numerus dierum sub imagine tantum sit intelligendus; optime autem methodo a Lueckio proposita<sup>1)</sup>. Joannis narratio evangelica a cap. I, v. 19 cum baptistae de sua aequae ac de Jesu dignitate coram synedrii legatis testimonio incipit. Nihil obstat, quin pro certo habeamus Joannem baptistam tanta alacritate coram populo locutum esse, quia jam antea in baptismo Jesu per Spiritum S. cognoverit, Jesum esse Messiam filiumque Dei. De ipso baptismo non narratur in evangelio, quia evangelium cum rebus post baptisma factis incipit<sup>2)</sup>. Sin vero tali modo res se habet, non dubitandum

1) Cfr. Lueckii: „Commentar zum Johannes“ I, pag. 340 ss.

2) Cfr. de Wettii: „Comm. z. Job.“ pag. 28.

est, quin tentatio illa nullo temporis spatio intermisso baptisma sit consecuta, ita ut quae Joannes c. I, v. 29 narrat, non modo post baptisma sed etiam tentatione jam finita, facta sint. Sequitur, orationem Joannis Baptistae de baptismo (c. I, v. 29 ss.) quadraginta dies post ipsum baptisma, orationem autem coram legatis (c. I, v. 19—27) pridie ante tentationem finitam et ante quam Jesus apud Joannem advenit, esse habitam. Quae contra hanc sententiam a de Wettio et Straussio proferuntur, refutanda sunt. Quid enim mirabile vel incredibile sententiae nostrae inest, Joannem Baptistam id, quod teste Joanne Evangelista (c. I, 26) praedicat, bis praedicasse et ante baptisma (Luc. III, 16) et post baptisma (Jo. I, 26)? Quid sententiae, orationem de baptismo (Jo. I, 32 ss.) quadragesimo die post ipsum baptisma esse habitam? — Nulla ergo est differentia inter narrationem synopticam et evangelium Joannis quod attinet ad tentationem Jesu Christi. Tres itaque evangelistae illam rem testantur, quartus, quamquam silentium tenet, nil opponit. In ipsa narratione nihil inveniri potest, unde ducendum sit tentationem non esse factam, vel quo cogamur dubitare de eo, quod factum esse evangelistae narrant.

## CAP. II. Theologorum de tentationis narratione variae sententiae.

Quid evangelistae nobis referant, compertum habemus. Differunt inter se, non discrepant. Constat, ex judicio evangelistarum tentationem rem fuisse historicam, vel veram historiam. Quod elucet ex illis, quae de tempore praedicant, quando et quamdiu facta sit, et de locis, ubi Jesus fuerit dum tentetur, aequae ac ex modo connectendi historiam tentationis cum baptismo et cum itinere in Galilaeam, rebus sine dubio historicis. Singulae praeterea tentationes tali modo enarratae sunt, ut, quae facta sint, historiae ratione tibi ante oculos ponas.

Nihilominus multi theologi, quamquam in rebus divinis judicandis easdem partes non tenent, consentiunt in refutando sententiam evangelistarum et omnium qui, illorum testimonio innisi, tentationem veram esse historiam contenderunt. Quo consensu minime

impediuntur, ne dissentiant et in refutando has vel illas historiae partes et in statuendo, quomodo narratio evangelica sit intelligenda. Quae proferunt, proponenda et examinanda nobis videntur, ut quam ipsi profitemur sententia eo melius cognoscatur<sup>1)</sup>.

### A.

1. Sunt, qui dubitent de veritate historiae, quia in narratione evangelica mentio sit facta de *diabolo*.

a) Diabolum, qui personam gravem in tentatione sustineat non esse dicunt, ergo non fieri potuisse, ut Jesus ab ipso sit tentatus. — Cur diabolum esse negent, utrum quia nondum oculis conspexerint vel auribus verba ejus audiverint, an quia auctore Schleiermacher non esse statuendum opinentur, in una eademque persona summum intellectum cum summa malitia esse conjunctum, hic nullius est momenti. Si quidem nonnulli ex illa causa scripturam sacram diaboli mentionem facere profitentur, quia ab hominibus sit conscripta, qui, ut Judaei illius temporis, superstitione fuerint imbuti; alii autem rem gravius tractantes, ut de Wette, Winer, Strauss, nos docent, in ipso Vetere Testamento ante exilium Judaeorum scripto de diabolo ne verbum quidem inveniri posse, immo vero exilii temporibus e religione Persarum de diabolo doctrinam haustam et religioni Hebraeae esse conformatam: nos priorem sententiam quasi temerariam mittentes alteram postea examinaturi perscrutabimur scripturam sacram, num revera de diabolo doctrinam non contineat. Nunc nostra tantum interest, illos negare esse diabolum, ideoque tentationem non esse factam contendere.

b) Et illi, qui diabolum esse non dicunt<sup>2)</sup>, et alii qui utrum sit necne dubitant<sup>3)</sup>, et alii, quibus esse diabolum persuasum est<sup>4)</sup>, veritatem historiae negant, quia fieri non possit, ut diabolus ipse in

1) Non alias nunc examinabimus sententias quam eas, quae de tentationis narratione generatim sunt prolatae. De singulis tentationibus quid judicaverint theologi, alio commentationis loco agemus.

2) Strauss „Leb. Jes.“ ed. IV, pag. 435 ss.

3) Schweizer „Exeg. krit. Darstellung der Versgesch.“ pag. 75. Ullmann „Stud. und Krit.“ 1828.

4) Neander „Leb. Jesu“ ed. V, pag. 121, Ann. I. Olshausen „Comm. z. Matth.“ pag. 183. Krabbe „Vorles. üb. d. L. J.“

medium procedat, appareat, loquatur, et oculis auribusve cognoscatur. Inepti esse talia credere <sup>1)</sup>; inaudita esse et in historia sacra et in historia profana, neque, quod maxime valeat, scripturae sacrae convenire <sup>2)</sup>. Itaque tentationem tali modo non esse factam ut evangelistae narraverint.

c) Idem theologi, quorum memoravimus sententias et alii quidam inter quos de Wette <sup>3)</sup>, etsi fieri posset, inquit, ut satanas ita appareret, ut oculis, ita loqueretur, ut auribus cognosci posset, attamen non esse statuendum, apparuisse ut Jesum tentaret. Nempe nullam vim habuisset tentatio, si ipse diabolus apparuisset in tentatione. Detestabile prorsus videri neque cujusquam irritare posse concupiscentiam, quod ab ipso diabolo esse prolatum certe intelligatur.

d) Sin vero quis dicat verba ipsius diaboli in summa sua foeditate apparentis vim habuisse irritandi Jesu concupiscentiam, nihilominus contendunt non esse vera, quae de tentatione nobis referantur. Quis enim credat, diabolum summa intelligentia ut constat praeditum tam stultum fuisse ut speraret fore ut sollicitaret Jesum ad peccandum, quem filium Dei esse cognovisset? <sup>4)</sup> Si quis autem cum Theodoro Mopsuesteno de divina Jesu natura diabolum nihil scuisse dicat, Strauss recte, oblitus est, inquit, diabolum ex ea sola causa contra morem suum agendi apparuisse, quum virtutem extraordinariam Jesu Christi naturamque divinam cognovisset. Quam incredibilem diaboli stultitiam per narrationem evangelicam augeri contendunt adversarii narrationis nostrae, si respicias quomodo et quibus rebus adhibitis diabolus Jesum tentaturus sit. Quis enim, nisi homo amens concupisceret sese praecipitare de pinnis templi? Et quid stultius quam sollicitare Jesum ad adorationem diaboli, ad committendum facinus, quod detestatus esset quisque vir pius inter Israelitas? <sup>5)</sup>

1) Hase „Leb. Jesu“ § 46. A. W. Meyer „Comm. z. Matth.“ ed. III, pag. 109.

2) Olshausen l. l.

3) „Exeg. Handb.“ ad. Matth. 4, 1 ss.

4) Eo argumento contra veritatem historiae tentationis jam Julianus Imperator usus est teste Theodoro Mopsuesteno. Cfr. Straussii l. l. pag. 436.

5) Strauss l. l. Usteri „Ueber d. Versgsh. in d. Stud. und Krit.“ 1829, 3. fasc., pag. 452. Schweizer l. l. p. 73.

2. Sunt etiam alii, qui dubitent de tentationis historiae veritate non solum propter ea, quae de diabolo sunt narrata sed etiam propter id, quod narratur *de tempore, quamdiu et de locis, ubi Jesus sit tentatus*.

a) Non fieri potuisse, ut Jesus per quadraginta dies tentaretur ii contendunt, qui narrationem trium evangelistarum synopticorum cum Joannis relatione non convenire affirmant. De illis jam supra locuti sumus.

b) Quod attinet ad loca, ubi per singulas tentationes Jesus degisse traditur jam Strauss monuit, solitudinem quidem in narratione evangelica commemorari, ubi vero fuerit, reticere et in medio relinqui. Nec e contextu certiores nos fieri de solitudine illa, quum et ante tentationem Jesus apud Joannem B. fuerit in solitudine <sup>1)</sup>. Eandem, immo vero majorem, difficultatem praebere descriptionem secundae tentationis, quum Jesum in templi pinnas a diabolo esse ductum referatur. Non solum incolae Hierosolymorum obstupuisent, si Jesum in pinnis templi migrantem animadvertissent, sed etiam curiosi interrogassent, quisnam esset homo ille temerarius qui auderet ascendere in templum, nemini patens nisi Levitis et sacerdotibus. Sin vero ponamus, non ipsius templi fuisse pinnas quo Jesus ductus esset, sed aedificii cujusquam templo adstructi, vel porticus quae erat vallem rivuli Kidronis vel alterius vallem *τογοπολιω* versus, nova interpretatori obvia fit difficultas. Quid enim profuisset Jesu sese in vallem praecipitare nullis praesentibus hominibus, qui hoc miraculo permoverentur, ut crederent Jesum esse Messiam? <sup>2)</sup> Quod autem attineat ad tentationem tertiam (sec. relat. Matthaei) interrogandum esse, ubinam terrarum fuerit mons ille tam singularis altitudinis, ut, si quis in verticem ascenderet, totum mundum, omnia regna terrestria et quae essent in illis, opes et divitias, visu cognoscere posset? Minime enim cum textus verbis congruere, quae proferat Kuehnoel, mundum illum, quem diabolus monstravit, non fuisse mundum sed solam Palaestinam. — Itaque tentationem non

1) Strauss l. l. pag. 425.

2) Strauss l. l. Usteri l. l. Lange „Theol. homilet. Bibelwerk“ ad Matth. pag. 43.



esse factam nec certo temporis spatio nec certo loco <sup>1)</sup>. Ne evangelistas quidem rem ita intellexisse uti verba sonent. Ipsum Lucam adjecisse illud „ἐν στήλην χρόνον“ ante oculos Jesu diabolus posuit regna mundi“ ita ut quisque intelligat, miraculose vel magice hoc esse factum.

3. Dubitant de veritate historiae tentationis illi etiam qui dicunt, quod narratum sit minime convenire cum iis, quae per totum N. Testamentum *de Jesu Christi natura et indole* nobis referantur.

a) Inter eos, qui hoc argumento innisi narrationem evangelicam rejiciunt, Strauss ille <sup>2)</sup> res non magni profert momenti memorans, se nescire cur opus fuerit tentatione Salvatoris. Pro nobis Jesum a diabolo esse tentatum, vel Deum filium suum probaturum fuisse, vix quisquam credat. Sin vero quis opinetur, Jesum esse tentatum ut socius fiat nostrarum tentationum, opponendum esse, Jesum per illas tentationes non modo non similem nobis, immo vero dissimilem redditum esse, quia nemo nostrum ab ipso diabolo hominibus apparente tentetur.

b) Quomodo, interrogant alii, fieri potuit, ut filius Dei in diaboli potestatem traderetur et ab illo, quo vellet, circumduceretur <sup>3)</sup>

c) Quod de Jesu jejuniis nobis narratum sit, neque cum physica neque cum spirituali Christi indole convenire, Schweizer l. l. contendit.

d) Quae argumenta evanescunt aequae ac omnia alia adhuc memorata si comparantur cum illo, quo viri doctissimi Schleiermacher, Usteri, Schweizer, A. W. Meyer, Hasert, multi alii nos docent, Jesum non esse tentatum. Si Jesus Christus Salvator mundi omni caruerit peccato et omni mala concupiscentia, non fieri potuisse, ut tentetur; sin vero tentatus sit, sanctitate eum caruisse neque Salvatorem peccatorum fuisse, dicunt. Quia autem totum N. Testamentum aequae ac nostra conscientia testentur Jesum fuisse Dei filium, qui non possit peccare, historiam tentationis, si

1) Cui sententiae adstipulantur viri doctissimi A. W. Meyer „wegen der abenteuerlich-magischen Scenerie“; Olshausen Comm. pag. 183 u. 190; Ullmann „Sündlosigkeit Jesu“ ed. VI, pag. 298 u. 299.

2) „Leb. Jes.“ I, 433.

3) Krabbe l. l. pag. 167.

veram esse historiam putes, cum tota historia evangelica discrepare. — Quis non concedat difficillimum esse intellectu vel creditu, filium Dei, ipsum Deum, qui assumerit naturam humanam, tentatum esse a diabolo? Quis non miretur hanc rem? Quis est, quin moveatur dubitatione Usterii profitentis, tertium quiddam inter concupiscentiam per verba diaboli irritatam et solam peccatorum imaginationem, per diabolum quidem excitatam, nullo autem concupiscentiae motu conjunctam, se statuere non posse? Sequitur: neminem revera tentari posse nisi illum, cujus concupiscentia ad peccatum committendum irritari et peccato maculari possit. Quum ergo Jesus peccare non potuerit, etiam tentari ad peccandum non potuit <sup>1)</sup>.

4. Denique dubitandum esse de veritate relationis dicunt propter *angelos* in Matthaei et Marci evangelii commemoratos. Non esse angelos. Auctores Veteris Testamenti superstitione imbutos saepissime rem, quam narrarent, ornasse angelis personam gravem sustinentibus <sup>2)</sup>. Quum etiam nobis persuadere velint evangelistae angelos Jesu inserviisse cibos afferentes, dubitandum esse, utrum angeli attulerint Jesu cibum conspicuum an Jesus fructus sit cibo spirituali. Utramque opinionem esse refutandam <sup>3)</sup>.

Haec gravissima sunt argumenta contra veritatem tentationis prolata, quorum alii interpretes singulis, alii omnibus utuntur; quae ex differentia pendet, utrum totius hujus narrationis an partium modo quarundam veritatem impugnent. — Quid vero illi de narratione censeant, qui partem rejiciunt, partem probant, nunc proponemus.

## B.

1. Ut diabolus removeretur, non ab hoc sed ab homine malo Christum esse tentatum Basedow, Venturini, alii <sup>4)</sup> dixerunt. Alii qui aegre tulerunt, satanam ipsum in publicum processisse, illum quidem tentatorem fuisse non negaverunt, attamen hac in re homine malo et praesertim hominibus illis, qui a synedrio ad Joannem bapti-

1) Hasert „Stud. u. Krit.“ 1830, III, 1. A. W. Meyer „C. z. Matth.“ ed. III, pag. 109.

2) Usteri l. l. „Stud. u. Krit.“ 1839, pag. 451.

3) Strauss l. l. I, pag. 438. De Wette „Exeg. Handb.“ pag. 46.

4) Quorum opera et libros legas in Hasii „Leben Jesu“ § 46 Not.

stam missi essent <sup>1)</sup>, usum esse statuerunt <sup>2)</sup>. Quorum omnium sententiam A. W. Meyer jure ineptam appellavit, quum non solum e scripturae verbis nil ejusmodi deduci possit, sed etiam, quod Ullmann monuit, tentatio Jesu si ab homine instituta esset monstruosa ac incredibilis videretur, praecipue postulatio illa ut adoraret et promissum totius orbis terrarum imperium. Itaque hanc interpretationem mittere possumus.

2. Omnes supra enumeratae dubitationes facile tolli posse videntur, si statuitur, tentationem sane factam, minime autem ita factam esse uti evangelistae narrant, imo potius in spiritu et in anima Jesu Christi. Docent nos igitur theologi quidam verbis ambiguis et ancipitibus: „tentationem historiam fuisse internam“ quaerentibusque, quoniam sit haec historia, respondent:

a) *tentationem fuisse phantasma vel visionem*, oblatam admodum excitatis animae Jesu oculis auribusque ita ut personam diaboli, templi pinnas seseque in illis migrantem, montem et regna mundi oculis conspiceret et verba Satanae audire sibi visus sit. Tali modo oblati tentationibus restitisse. — Etiam si quis concederet, Jesum, cui tales res obtigissent, postea eas parum dilucida narratione ita rettulisse, ut discipuli opinarentur veram fuisse historiam, tamen quaerendum esset, quoniam modo Jesus in ejusmodi concitatae mentis statum incidisset. Patres ecclesiastici, inter quos nonnulli (Origenes, Cyprianus, Theodor. Mops.) hanc sententiam defendere, a diabolo hoc esse factum putant; alii, inter quos Farmer a Deo effectum docent, alii denique hoc ex naturae legibus ortum demonstrant, sive quum Jesus tamdiu in solitudine commoratus jejuniis sit fatigatus, sive quum animus Jesu talia phantasmata ipse progenuerit. Contra quas sententias recte argumenta solida afferuntur, ejusmodi excitatae mentis status non modo in Jesu vita omnino non inveniri, sed etiam parum contentui perfecto omnium filii Dei animi ac mentis virium respondere neque aptos fuisse ad probandam Jesu virtutem, quum in illis careret libero arbitrio et capacitate eligendi bonum vel malum.

1) J. P. Lange „Theol.-homilet. Bibw. Ev. Matth.“ pag. 41. Cfr. c. „Leb. Jes.“ Pars I, Tom. 2, pag. 205 ss.

2) Cfr. Bengelii Gnomon. ad Matth. p. 37 „sub schemate γκαμυδρεωσ“.

b) *Tentationem fuisse somnium* eadem fere est sententia a Meyero quodam <sup>1)</sup> proposita et ab Usterio <sup>2)</sup> optime refutata.

c) Plerique denique in eo conveniunt, ut doceant *tentatum esse Christum vigilantem et mentis suae plane compotem*. Eo tamen differunt, quod quidam statuunt Jesum per cogitationes ex ipsius corde vel mente ortas esse tentatum (Eichhorn, Dereser, Ammon), alii autem tentationes a diabolo paratas putant (Krabbe, Hoffmann, Ullmann). Alteram harum sententiarum Eichhornii et Ammonii, aliqua ex parte quoque Hase laudavit docens: „die Versuchung ist wahrhafte innere Geschichte, die ganze Bildungsgeschichte Jesu umfassend und wahrscheinlich von ihm selbst mit Rücksicht auf 2 Mos. XVI, 5 Mos. VIII, 2 und Ps. XCI, 11 ff. zur individuellen Thatsache objektivirt, da eine lange Reihe innerer Erlebnisse kaum fasslicher und vorbildlicher darzustellen war, als in sinnbildlicher Form“. Quae sententia parum convenit cum vera Jesu Christi persona et indole, quum defendi vix posset, nisi statueretur in Jesu Christo concupiscentia carnalis et peccatoria. Quae autem a Krabbio et aliis supra memoratis theologis proferruntur, tentationes fuisse internas quidem, a diabolo autem paratas <sup>3)</sup>, easdem praebent fere difficultates ac sententia illorum, qui tentationem veram fuisse historiam credunt, praeterquam quod scripturae verbis parum respondent. Neque magis res explanatur incertis illis Neandri verbis <sup>4)</sup> „die Versuchungsgeschichte enthält nicht allein eine ideale sondern auch eine historische Wahrheit, aber eine solche, welche in symbolischer Form mitgetheilt worden“ etsi laudat Nitzschium, qui narrationem de primo peccato protoplastarum „keine wirkliche aber wahre Geschichte“ appellaverit; quod iudicium etiam de tentatione ratum habet <sup>5)</sup>.

Facile intelligimus, eos, quibus in tentationis historia tot res notandae videntur, supra enumeratis illis experimentis, quibus res

1) Stud. u. Krit. 1831.

2) Stud. u. Krit. 1832 pag. 775.

3) Cfr. etiam Ullmanni „Sündlosigkeit“ ed. VI. I. I.

4) Leb. Jesu ed. V, pag. 113.

5) Cfr. Neandri „Leb. Jesu“ pag. 123 Annot.

veri similiores reddantur, parum contentos esse atque geminam proponere conditionem, ut aut omnia uti referantur pro vero habeantur aut omnia rejiciantur. Illae enim supra relatae interpretandi rationes aut prorsus rejiciendae sunt aut partes levissimas tantum mutantes gravissimas difficultates nihil tangunt, ita ut hac via nec amicis nec inimicis evangelistarum satis fiat. Praeterea quoque cavendum est illis interpretibus, ne ob immoderatam licentiam notentur, quum qui singula ex parte stricta relationis verba rejiciant mutentve etiam jus sibi vindicare possint libero arbitrio aliis in partibus mensuram rationis humanae adhibendi.

Quid autem juvat rejicere veritatem historiae vel narrationis, si nihilominus relatio e scriptura sacra tolli non potest? Si res, quae narratur pro vera non habetur, tamen docendum est, unde narratio orta sit et quid sibi velit. Negatio non sufficit nisi addita positione. Quae de hac quaestione prolata sint, audiamus. — Ut illi, qui pro veritate historiae certant, nuntium hujus rei per ipsum Jesum ad ejus discipulos pervenisse contendunt, ita inter adversarios etiam sunt, qui ab ipso Christo hanc relationem originem duxisse statuunt. Ita vero si res se habet, vera sit narratio necesse est. Quum autem veritatem, quam historicam appellant, narrationi inesse negent, Christum sub specie historiae doctrinam quandam sublimem professum esse, statuunt. Brevibus ut dicatur, relationem esse parabolam, quales Dominus plurimas docuerit <sup>1)</sup>.

### C.

Inter defensores sententiae, narrationem esse *parabolam*, nomina satis magnae auctoritatis inveniuntur Schleiermachers, Baumgarten-Crusii, Usterii, Haserti, Schweizeri. Neque horum theologorum sententia ea est, Jesum forma parabolica usum esse in enarrando eo, quod ipse tentatus intimis sensibus percepisset (quae sententia proxima illi supra jam tractatae est) sed statuunt eum hic aequae ac alias doctrinam certam de rebus divinis forma historica profiteri. Schleiermacher tria praecepta iis, qui munere evangelium praedicandi regnumque Christi propagandi fungan-

1) Usteri in „Stud. u. Krit.“ 1829.

tur, gravissima hac parabole tradi contendit: primum, ne miracula faciant sui commodi causa; secundum, ne, extraordinarii Dei auxilii spe innisi, suscipiant quod naturae ordini atque legi contrarium sit; tertium, ne unquam cum diabolo societatem ineant. Optime Jesum has regulas sub forma parabolae tradidisse <sup>1)</sup>. Plane eadem est sententia Usterii <sup>2)</sup>, qui tamen copiosius etiam disquirat, quomodo factum sit, ut haec parabole pro historia habita sit. Atque inde ortum esse putat, quod parabole de ipso Jesu agat atque inter Judaeos mox nata sit opinio Jesum probandum esse tentatione superiorem Satana. Schweizer etiam formam parabolicam solam defendi posse putans Schleiermachersi vero interpretationem quasi affectatam et ad muniendum Jesu ἀναμαρτίας dogma excogitatum refutans, aliam proponit, dicitque Jesum per hanc parabolam nihil aliud discipulos docturum fuisse nisi modum quo aggrediatur ὁ κόσμος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Pro κόσμῳ in parabole positum esse eum, qui personam principis κόσμου sustineat, pro ecclesia caput ecclesiae. Quum ita res se habeat, quid mirum, quod diabolus in parabole quasi stultus appareat? Nonne stultitia vel caecitate quadam mentis capti illi homines scelerati, qui persuasuri sint membris ecclesiae ut rebus externis regnum Christi augere conentur? Quam sententiam Schweizer tam certam putavit tantaque tenacitate in ea perseveravit, ut eam, quum Usteri <sup>3)</sup> quidem suam ipsius opinionem, jam supra propositam (quam a. 1829 professus est), refutaverat, non mitteret. Nos autem, argumentis ab Usterio jam editis innisi parabolam esse historiam tentationis prorsus negamus. Ne verbo quidem lectori historiae indolem parabolicam cognoscendi locus praebetur, quamquam alias in Novo Testamento parabolae semper ita narrantur, ut parabolae esse nemo nesciat. Difficilius etiam est quam quod credas Jesum doctrinam simplicissimam discipulos sub specie docuisse parabolae et obscurissimae quidem. Difficilius etiam, Jesum hoc fecisse ita ut discipuli narrationem parabolicam quamvis incredibilem pro vera historia haberent et traderent. Nonne

1) „Ueber die Schriften des Lukas“ p. 55.

2) „Stud. und Krit.“ 1829, p. 456.

3) „Stud. und Krit.“ 1832. Fasc. IV, pag. 768.

compertum habuit Jesus, magister praestantissimus, parabolarum inventor praeclarus, parabolarum id proprium esse, ut fingant personas? Nonne intellexerant discipuli narrationis parabolicae natura et indoles quae essent? Si nihilominus Jesus parabolam ab omnibus aliis discrepantem narraturus fuisset, rem ita explicare debebat ut nemo nesciret, Jesum non esse tentatum et diabolum omnino non esse <sup>1)</sup>. Elucet narrationem evangelicam de tentatione non esse parabolam, ideoque non esse narratam ab ipso Jesu Christo. Si enim ab ipso Domino esset narrata aut pro vera historia aut pro parabole esset habenda. Veram esse historiam illi negant, parabolam non esse nos ostendimus: ergo a Jesu non est narrata.

### D.

Si narratio evangelica de tentatione neque est vera historia nec parabole a Jesu narrata, attamen in evangeliis narratur, non nisi fictam traditamque esse ab hominibus, statuendum esse videtur. Quum videlicet consilio religioso ficta sit, ut sub specie fabulae opinio quaedam christiana de Jesu persona vel munere tradatur, jure *fabula mythica* illa narratio nominari possit. — Illorum, qui rem ita intelligunt, est ostendere, quae sit opinio in hac fabula tractata, et quam causam praebeat religio Judaeorum et vita Christi talem narrationem fingendi. Neque minus est demonstrandum hanc fabulam non esse unicam in N. Testamento, immo vero cohaerere cum aliis in narratione evangelica dispersis.

Inter eos, qui hanc sententiam, desperantes de quovis alio modo narrationem intelligendi, defendunt, sunt K. C. L. Schmidt, Ziegler, Löffler, Fritzsche, Usteri, Strauss, de Wette, A. W. Meyer. Inter quos Usteri hanc de narratione opinionem opposuit sententiae ab ipso tribus annis ante prolatae. Multas fabulas mythicas inesse N. Testamento praesertim illi parti, quae infantiam ac juventutem Salvatoris tractet. Hanc vero fabulam a Judaeo quodam, vi imaginandi extraordinaria praedito, ad similitudinem multarum V. Testamenti narrationum esse fictam excogitamque ut do-

1) Cfr. Haserti verba in „Stud. und Krit.“ 1830, fasc. III, pag. 75. Straussii l. l. I, p. 445. De Wettii „Handbuch“ ad Matth. p. 45.

ceantur Christiani Satanam et Messiam adversarios esse <sup>1)</sup>. Interpretatio re vera levis parumque sufficiens! Quisnam credat, rem per se cuique certam tanto apparatu, tot verbis tumidis docendam fuisse? Melior esset interpretatio, quam profert Hase, hac fabula descripsisse quendam, quomodo Jesus ipse contra tentationes internas per totam vitam pugnaverit, nisi conveniret cum sententia jam supra notata. Negari non potest accuratius Straussium conatum esse explicare, quo modo haec fabula sit orta. Diabolus, inquit, ex Judaeorum doctrina adversarius est Dei, populi Judaeorum et Messiae. Uti liberos Dei ad malum pellicere studet primumque Adamum etiam pellexit, ita quoque Messiam, alterum Adamum, aggressurum esse diabolum putabant. Omnes homines eximie pii, quorum V. Testamentum mentionem facit ex antiquiore sententia a Deo, ex recentiore a Satana tentati referuntur. Messias itaque tentatione carere non potuit. Sententia, Messiam a diabolo tentatum iri apud Judaeos vigiisse, ex loco quodam Pesiktae probari potest <sup>2)</sup>. In solitudine vero Jesus tentaretur necesse fuit, quae ex populi opinione daemonum sedes esset, in qua ipse populus »filius Dei collectivus« tentatus esset. In solitudine porro non aliter fieri potuit, quin corpus castigaret atque jejunium servaret, ita ut Moyses (2 Mos. XXXIV, 38) et Elias (1 Reg. XIX, 8), per idem ac illi temporis spatium quadraginta dierum, quod responderet quadraginta annis, quos populus in solitudine degerat. Uti populus etiam Messias fame tentatus est. Neque una tentatio sufficere potuit, quum Abraham secundum auctoritatem Rabbiorum decies esset tentatus. Ter tentaretur necesse fuit, quia ter in Gethsemane precatus, ter a Petro abdicatus est, ter Petrum de amore examinavit cet. <sup>3)</sup>. Hanc fere sententiam de Wette l. l. defendit. A. W. Meyer <sup>4)</sup> nos docet, Christum per totam vitam a diabolo tentatum semper victorem processisse (Hebr. IV, 15), famam vero procreasse certam ten-

1) Cfr. „Stud. und Krit.“ 1832, Fasc. II, p. 787.

2) Ipse tamen Strauss addit, hoc loco satis indicari sententiam Judaeorum, ejusmodi tentationem a diabolo susceptam Deum numquam concessurum esse. (!)

3) Cfr. Strauss „Leb. Jesu“ l. l.

4) Comm. in Matth. ed. III, p. 109 Adnot.

tationis historiam. Quomodo singulas suae sententiae partes causis probarit e commentario p. 109 intelligatur.

Si varias has interpretationes spectas, haud absonum videatur, quod jam Schweizer l. l. monuit, satis mirabile esse, quod hanc formam sibi induerit haec fabula. Cur rem simplicissimam ita narraverunt, ut incredibilis, maxime dubia, supplementa ubique desiderans evaderet? Mirum est, rem tam incredibilem, tentationem filii Dei per diabolum, tam cito fide canonica esse auctam. Res ita a verisimilitudine abhorrentes quadam juris specie tantum defendi possent, si quis cum Straussio omnem historiam evangelicam mythicam esse contenderet. At quomodo Meyer ad illam sententiam venerit, difficile est intellectu. Quomodo enim, uti contendit Meyer, historiae non verae „veritas ideae“ inesse potest (non modo si totam, verum etiam si singulas partes spectas), quae ex ejusdem Meyeri sententia nullo modo conveniat cum ingenio nec diaboli nec Christi? Quis, qui tam stulta, tam inhonesta, tam a vera Christi natura et indole discrepantia finxerit, fidem iis moveat, qui tam caute distinxerint inter narrationes de Christo certas et ambiguas?

Quid autem amplius contra hanc sententiam proferamus? Non est tanti, ut uberius ostendamus, quibus argumentis refutari possit. Mythicam enim si quis historiam de tentatione appellat, revera nihil aliud dicit nisi historiam non esse veram, rem non esse factam. Quae de origine et indole hujus narrationis proferre conantur non esse serio dicta, ex incerta atque ancipiti loquendi ratione apparet. Etiam Meyer explicationem uberiolem, unde orta et quamobrem inventa sit, notis quum inseruerit, lectori relinquit utrum suae an aliorum interpretum explicationi adstipulari velit. — Ideo etiam si nobis contigisset, ut omnia, quae de origine historiae prolata sunt, refutarem, tamen nihil profecissemus, quum facile alia futilis evaderet sententia. Nullo alio modo eos, qui mythicam esse contendunt nostram narrationem, vincere possumus nisi demonstrando, temere negatam esse veritatem historiae.

Jam gravissimas eorum retulimus sententias, qui veritatem historiae negant. Ex quibus intelligatur, non difficile esse, quaslibet dubitandi atque haesitandi causas movere. Quum vero, quae

de tentatione in evangeliiis narrantur, a tota historia evangelica nullo modo separari aut removeri possint, non sufficit, negare veritatem historiae, sed explicetur necesse est, unde haec narratio orta et quomodo cum relatione evangelica connexa sit. Pericula varia, ut narrationis origo explicetur vel ipsa relatio explanetur, facta ejusmodi sunt, quae aut gravissimis in rebus cum historia consentiant ideoque easdem interpreti praebeant difficultates, aut, ubi discrepant, neque amplius defendi neque omnino statui possint. Quamobrem, qui veram esse tentationis narrationem negant, coguntur profiteri, mythicam eam esse, vel, quod idem est, non esse veram, se vero nescire, unde et quomodo orta sit. Aut probandum ergo est, quod narratur aut plane rejiciendum. Priusquam hoc alterum concedamus, periculum probandae veritatis faciendum videtur. Itaque rationem habentes eorum, quae, ut relatio evangelica defendatur, prolata sunt, historiam probare conabimur.

Neque vero ita veritatem tentationis probare poterimus, ut dubitantibus argumenta, quae protulerint, omnia redarguamus. Veritatem historiae quasi partis narrationis evangelicae solummodo metiri possumus ex ejus cum Scriptura sacra, maxime vero cum N. Testamento, consensu; valeatque necesse est haec ad sacram Scripturam provocatio etiam iis, qui fidem ei non tribuant. Si enim consensus ille demonstrari non potest, historia non vera et ex N. T. ejicienda est, sin vero convenit cum tota historia sacra, aut vera habenda est cum tota narratione biblica, aut, si nihilominus rejicitur, tota narratio biblica cum illa rejicienda est ut falsa et mythica. Itaque quaestio de veritate tentationis esse non potest, nisi examinato contextu et consensu eorum, quae de ipsa tentatione narrantur, cum iis, quae alias sacra Scriptura praesertim vero de Jesu ac de diabolo tradidit. Operae etiam est pretium instituere hanc quaestionem, quae hac inita via et hac disquirendi adhibita ratione certo atque justo non carere possit eventu <sup>1)</sup>.

1) Quod inter argumenta contra tentationis veritatem prolata ea nobis longe gravissima videntur, quae e natura Jesu peccato libera deprompta sunt, haec primum summaque diligentia examinabimus; tum brevius rem explicantes in ea vertemus animum, quae diabolum et angelos spectant; denique, probata in universum eorum, quae de tentatione produntur, veritate, singulas historiae partes, earumque causae ac eventa quo nexu inter se jugata sint, exponemus simul et temporis et loci quid offenderit explicantes.

## PARS II.

### Scripturae sacrae de hominis et de Jesu Christi tentationibus doctrina<sup>1)</sup>.

#### CAP. I. De tentatione in genere.

**D**uas inire possumus vias ut vim et naturam tentationis intelligamus, alteram verba etymologice explicantes et cum usu Scripturae sacrae, quo vocabula *πειράζειν*, *πειρασμός* cet. in N. Test. et *נִסָּה*, *מִסָּה* in V. Test. adhibeantur, comparantes, alteram singularum tentationum res, quas sacra Scriptura narravit, ordinantes summasque cujusque ordinis analytice explicantes. Utrâque in via sane perfectissima obtineremus eventa; quum vero longius abduceremur, in animo ejusmodi rationem sequi nobis non est. Itaque etymologiam vocis *πειράζειν* latius non explicaturi, iis utimur, quae diserte et diligenter a Tholuckio disputata sunt<sup>2)</sup>.

Satis jam ex illis constat Scripturam sacram verbo *πειράζειν* eodem sensu uti atque Romani „periculum facere“ (Act. XVI, 7; XXIV, 6), tum eo, quo Graeci alias verbo *δοκιμάζειν* utuntur, quod est explorare (LXX Genes. XXII, 1), ubi vix aliquis contendere possit jam in malam partem vergere sensum; denique sensu explorationis insidiosae, in malam igitur partem, quod est *tentare*. Tres hae notiones, si accuratius animadvertimus, duae modo sunt, quum posteriores ambae in eundem ferantur intellectum „experiendo tentandi“ eo tantum separatae, ut altera alterum finem spectet. Nominine *πειρασμός* (a perfecti forma passiva ducto) aut latiori sensu

1) Quid nos doceat S. S. de Jesu Christi tentationibus intelligere non possumus nisi explicantes tentationes cujusque generis praesertim vero hominis, in S. S. nobis enarratas.

2) Cfr. Tholuckii „Auslegung der Bergpredigt“ ed. II, p. 425 ubi sextam tractat precem orationis dominicae.

*δοκιμασία*, exploratio, probatio (1 Petr. IV, 12), aut in malam partem spectante calamitas significatur (Matth. VI, 13); respondet Graecorum *περιστάσει*.

Nos illam notionem „periculum faciendi“ nil curamus sed quaerimus hoc solum, quomodo illud „experiendo tentare“ fiat. — Ante omnia stat, tentationem esse aliam si Deus, aliam si diabolus, aliam si homo tentat; aliam etiam si Deus, aliam si homo tentatur. Deus tentat ut perspicua fiat hominis in intimo animo cum Deo ratio; tentat ut suos probata per tentationem fide firmet, adversarios vero patrefacta perfidia convincat ipsorum culpa et Dei punientis justitiae. Id docemur exemplo Abrahami, quem Deus postulado filii sacrificio tentavit; exemplo Iobi, totius populi Israelitarum in solitudine tentati et exemplo Pharaonis. — Diabolus tentat, ut hominem ad peccatum committendum permoveat et peccato commisso in suam potestatem redigat. Homo ut malo ex consilio (mulier Potipharis, Genes. XXXIX, 11) ita ex bono (1 Tim. III, 10) tentare potest.

Si eum, qui tentari possit, spectamus, tantum et Deum et hominem posse tentari Scriptura sacra nos docet. Satis magnum inter utramque rationem esse discrimen jam intelligemus. — Quid sit Deum tentare, satis dilucide apparet ex illo ad Raphidim (Exod. XVII, 2) eventu. Populus, quum aqua quam bibat defecerit, cum Moyse rixatur: „Estne, inquit Dominus in nobis, an non?“ „Da nobis aquam ut bibamus“. Moyses vero „cur tentatis, inquit, Deum?“ et (v. 7) locum Massa appellat, quae est „Tentatio“. Illa, quam cum fremitu edidit, postulatio, cui interrogatio perfida „Estne Dominus in nobis, an non?“ (v. 7) adjuncta erat, tentatio Dei a Moyse notata est. Postulant nempe, ut Deus sese ex ipsorum libidine manifestet, quum aliter credere non possint eum adesse suo populo. Deum seditione coacturi sunt, ut ita agat uti ipsi volunt, talemque sese praebeat, qualem ipsi Deo justo fidem servante dignum censent.

Itaque Deum tentare est: agere ita, ut experimentum instituat, utrum Deum semet ipse probaturus sit nec ne. Quum vero Deus semper omnibusque in rebus talem se praebeat, qualis est atque vult esse, et ita sese manifestet, ut quisque et Deum esse et quid velit, scire possit ac debeat: ejusmodi periclitatio solummodo fieri potest opinante homine, Deum a solita sese revelandi via ho-

minis gratia recessurum. Deum tentare igitur est periculum facere, sitne manifestaturus semet ipsum modo per hominem praecepto neque tamen ab ipso sibi destinato, an non. Dei vero immutabilia sunt et facta et numen, quum a semet ipso discrepare non possit (Jac. I, 13 „ὁ θεὸς ἀπειραστός ἐστὶ κακῶν“). Tentatio igitur ab homine instituta vanum est periculum, quod non modo non potest evenire sed poenam etiam excitat.

Exemplo modo memorato alia a Scriptura sacra enarrata respondent. Petrus (Act. V, 9) Sapphiram „quid utique convenit vobis tentare spiritum Domini?“ interrogans ea fere intelligit: quid Deum periclitaturi estis, utrum naturam vestram occultam mendacemque puniendo detegere possit et velit, uti semper facit atque se facturum promisit, nec ne? Petri etiam sunt verba (Act. XV, 13) „quid ergo tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?“ et hanc habuisse videtur sententiam: eos, qui a paganis postulent ut leges Moseas servent, quo justi fiant Christiani, nil aliud agere nisi Deum tentare, num contra verbum suum salutem perfectiorem iis daturus sit, qui praeter quod Christi fidem habeant etiam legem Moseam expleant.

Ergo sequitur, Deum sane ab homine posse tentari, sed quum facultas inter suam voluntatem atque id, quod huic est contrarium, eligendi ei desit, quamvis tentationem vanam esse.

Praeter Deum Scriptura sacra solum hominem, qui tentari possit, memorat. Dei vero tentatio quum tam peculiaris sit, solus homo qui a Deo, a diabolo, a semet ipso et ab aliis hominibus tentari possit, restat; tum in statu integritatis quum peccator, et non renatus et renatus vel justificatus. At quo sensu et qua ratione possit tentari, exempla nos docebunt.

## CAP. II. De tentationibus hominis.

### A. De tentatione hominis in statu integritatis vel sanctitatis et justitiae originalis.

Prima, quam narrat Scriptura sacra, tentatio in paradiso primos homines in statu justitiae originalis degentes aggressa est et gravissimos citavit eventus. — Secundum Genes. III, 1 serpens Evam

alloquitur, quam ad praeceptum Dei violandum pelliciat. Nihil hic nostra interest, utrum serpentis formam Satanus induerit, nec ne; satis est scire, dolum malum adfuisse, hominemque ab adversario quodam Dei extrinsecus esse tentatum. Incipit serpens verbis: אָרְבֵּי פִי אֲכַמֵּר; interrogando miratur, quod Deus hominem vetuerit omnium paradisi arborum fructibus vesci<sup>1)</sup>; in majus auget praeceptum divinum (Genes. II, 17), quod solummodo ad scientiae mali et boni arborem pertinebat; sese mirantem praebet, ut hominis quoque illius praecepti admirationem vel potius indignationem moveat tam inauditi interdicti. Neque vero serpens id, quod voluit, efficit, etsi verba ejus non omni carent effectu. Excitatur nempe in ipsa femina conscientia, hoc praeceptum propria quadam vi esse. Hofmann l. I. jure monet, id facile ex Evae verbis apparere, quum non, uti ex c. II, 16 expectari possit, „Deus praecepit: comede neve comedas“ respondeat, sed „de fructu lignorum, quae sunt in paradiso vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur“ (Genes. III, 2—3). Addendo etiam, quae Deus non dixit „neve tangeremus illud“ auget Dei interdictum; de minis autem Dei mentionem facit ita, ut verbis „ne forte moriamur“ non quas poenas minatus sit Deus, sed potius quo consilio vetuerit fructum, explicet. Deum scilicet hominem servandi consilium habuisse itaque interdictum e bono consilio fluxisse, censet. — Qua re satis perspicuum fit, Evam perspexisse, quae esset serpentis sententia, quae interdictum ex dolo malo datum ceuseret. Defendit ergo femina Deum atque verbo divino innisa tentatorem repellens probatur hac in prima tentatione. Serpens autem, feminae conscientia excitata, dubium esse Dei bonum consilium contendit, quum minime mors secutura sit interdicti violationem, immo vero („eritis sicut Deus“) alta intelligentia et status Dei simillimus. Excitatur his verbis feminae cupido fructus, totam eam capit, delet fidem in Dei bonum consilium, movet suspicionem de Dei amore simulque metum poenae semovet, atque his impedimentis sublatis ad ipsum factum urget.

1) Ita recte interpretati sunt et Hofmann „Schriftbeweis“ ed. I. I, p. 412 et Delitzsch „Comment. z. Genes.“ ed. II, p. 156.

Quam interpretationem solam rectam et veram habere possumus. Relationis contextus iis, quae Delitzsch in Comm. ad Gen. ed. II, p. 162 docuit, feminae responsum jam peccati fuisse initium prorsus repugnare videtur. Censet Delitzsch, feminae fuisse, ut serpentem, quae verba faceret, mali instrumentum cognosceret, seque ab ea averteret nihil respondens. Sed quomodo talia e verbis erui possunt? Forsitan additis feminae verbis *וְלֹא תִגְעוּ בּוֹ* (neve tangite eum), quibus Delitzsch indicari censet, feminam Dei interdictum durius esse intellexisse atque taedium nimiae Dei severitatis initium cepisse? Nos quidem contendimus, his verbis additis ipsum interdictum distinctius solum definiri, quum c. III, 6 defectio hominis a lege divina ita narretur, ut non modo processus et denique perfectio ejus sed etiam initium ipsum peccati explicetur, feminam itaque antea jam defecisse dicere non possumus. — Delitzsch, quia hoc loco textui non satis fecit, etiam in „Psychologia biblica“ p. 90 docet, feminam prius de interdicto miratam esse et in errorem inductam, tum visu, imaginatione et concupiscentia prava arborem amplexam. Haec ejus sunt verba: „Die Sünde hat nicht damit begonnen, dass das Weib den Baum reizend fand, sondern damit, dass ihr der Liebesgrund des Verbots und überhaupt Gottes Liebe verdächtig wurde“. Quod plane facto repugnare videtur. Qua ex causa serpenti, cujus jam prima verba defectionem vel peccati initium effecissent, ad fructum gustandum etiam incitandum erat? Ipse Delitzsch l. l. p. 91 docet, plane devictum esse hominem vi et dulcedine rei sensibus perceptae. Quod si ita se habuit, antea homo non erat devictus, neque ne origo quidem peccati aderat; in homine enim innocente origo peccati vel minima ab ipso lapsu distingui non potest; est lapsus initium peccati<sup>1)</sup>.

Ex ratione, qua serpens homines tentaverit, discimus, quomodo homo sanctus et justus in statu integritatis adhuc degens tentari potuerit, vel tentationibus fuerit subjectus<sup>2)</sup>. Primum igitur ani-

1) Cfr. contra Delitzschii sententiam Hofmanni „Schriftbeweis“ I, pag. 413 ss.

2) Hominem sanctum et justum et cum libero arbitrio, quod non modo boni vel mali eligendi facultas — quam libertatis formalis nomine appellant — sed amor liber Dei fuerit, creatum esse, pro certo ponimus. Amor Dei primo

advertendum est, hominem tentationi fuisse subjectum, qui fuerit praeditus libero arbitrio, vel facultate et potestate relinquendi Deum et eligendi malum. Qua potestate homo si caruisset, necessitate quadam ut diligeret Deum ita ut peccare non posset coactus, tentatio vana atque irrita fuisset. — Propter facultatem eligendi bonum vel malum homo tentari, propter sanctitatem vero innatam non nisi per malum aliquem extrinsecus illum aggredientem tentari potuit. Sanctitas ergo non impediit quin tentaretur homo, sed impedimento fuit, ne tentaretur per suam concupiscentiam aut per suas cogitationes. — Homo autem liber ne extrinsecus quidem tentari potuisset, nisi facultate caruisset impediendi, ne tentator sibi diceret verba captiosa. Est autem naturae humanae, hominem esse ex parte liberum, ex parte ita obstrictum necessitate audiendi vel sentiendi, quod alius eum audire vel sentire velit, ut libertate non absoluta sed relativa vel finita sit ornatus. Hominum est modo agere ex libero arbitrio, modo pati, quae faciunt alii<sup>1)</sup>. Quod aequae ex corpore atque ex anima apparet, quum homo aut loqui aut silere possit, prout velit, neque vero pendeat ex libero arbitrio, utrum audiat annon audiat, utrum tangatur aliqua re nec ne. Neque habet facultatem impediendi, ne per verba edita atque audita stimuletur, ut cogitet de aliqua re, vel ne tangatur anima per jucundi et per injucundi aliquid. — Attamen propter solam libertatem vel potestatem peccandi nec solum propter deficientem libertatem perfectam homo sanctus justusque extrinsecus tentari potuit. Quaerendum potius, num homo sanctus, amans Deum in ejusmodi statu esset, ut diabolus<sup>2)</sup> fore ut verba sua non modo audirentur,

homini sicut donum innatum, non autem studio et opera acquisitus nec meritum liberii arbitrii. Nihilominus hominem in libertate conditum, et amorem illum liberum fuisse, contendimus. Quae dogmata hic non probaturi, remittimus lectores ad ea, quae de doctrina ecclesiae evangelicae et contra illam ecclesiae Romanae aequae ac Socinianorum, et contra sententias novissimorum docentur a Philippo „Glaubenslehre“ II, pag. 339 ss.; a Thomaasio „Christi Person und Werk“ ed. II, I, pag. 242; a Sartorio „Heilige Liebe“ I, cap. III, pag. 43.

1) Cfr. Jul. Muellerei „Lehre von der Sünde“ ed. III, II, pag. 190 ss.

2) Fuisse *diabolum* qui serpente usus sit, ut pelliciat hominem, hic Scriptura sacra teste ponimus. Cfr. Joan. VIII, 44; 1 Joan. III, 8; II, Ep. ad Corr. X, 3 et 14; Apoc. XII, 9; XX, 2.



sed etiam hominem, anima turbata, cogere ut eligeret bonum vel malum, atque concupiscentiam ita sollicitarent, ut malum pro bono eligeret, sperare posset? — Fuisse hominem in statu ut tentaretur opportuno ex ipsa tentatione diaboli, res sibi faustas certe non negligenter, cognoscas. Qui cum de nulla alia re loquatur nisi de interdicto illo Dei, intellexisse videtur, interdictum illud ansam praebiturum esse tentationi. *Homo ergo tentationi erat subjectus, quia vetitus erat frui fructu arboris.* Quo sensu hoc statuamus, amplius explicabimus.

Verbum Dei „ne comedas“ sine dubio impedimentum fuit, ne frueretur homo fructu, qui per se erat aptus ad vescendum et creatus, ut homo illo frueretur. Secundum legem autem ab ipso creatore Deo naturae insitam omnibus rebus, quibus homo frui potuit, respondebat hominis voluntas fruendi; omnibus bonis voluntas possidendi, concupiscentia et appetitus rerum. Idem Deus hominem subigere terram et dominari in omnia, quae erant in terra, iussit, qui hominem facultate et potestate dominandi ornavit; idem illum concupiscentia dominandi et appetitu fruendi rebus et illasque sibi vindicandi praeditum creavit<sup>1)</sup>. Amor itaque mundi, appetitus res possidendi vel concupiscentia aequae ingenerata erant homini atque amor Dei vel summi boni. Quod autem attinet ad fructus omnes in horto Paradisi, Deus imprimis, illis vescendi venia data, eorum appetitum in homine sollicitavit, comprobavit, sanxit (Gen. II, 16). Quum igitur Deus vetaret hominem fructibus unius arboris vesci etiam appetitum, quo concupivit homo illos fructus, et ipsam concupiscentiam coercuit. Non modo ne vesceretur sed etiam ne concupisceret illum fructum homini interdixit.

Alio modo autem coercuit hominis libertatem edendi et concupiscendi hoc interdicto, quam coercuerat finibusque incluserat eam, ubi hominem ita, ut multis rebus frui nec posset, nec vellet, crearat. Erga leges illas naturae homini insitas nulla obedientia opus erat. Rebus ejusmodi vetitis non per liberum arbitrium sed per necessitatem abstinuit, ita ut fieri non posset, ut appetitus earum, natura humana alienarum oriretur. Nec eguit nec caruit illis. Quum

1) Cfr. Nitzschii „System der christl. Lehre“ ed. V. §§ 94 et 95.

vero Deus interdiceret, ne vesceretur homo fructu illo, vetuit illum facere aliquid, quod ex naturae indole facere et voluit et potuit, scilicet vesci rebus quibus vesci, concupiscere res quas concupiscere potuit. Cui interdicto homo igitur non per necessitatem obediebat, nec nisi per solum liberum arbitrium propter amorem Dei obedire poterat. Voluit itaque Deus hominem nolle propter Deum quod per se et velle et nolle potuit; obedientiam itaque liberam postulavit, eum jubens facere, quod non nisi omnium fructuum appetitum naturalem vel mundi amorem libere compescens, nec nisi Deum ut summum bonum omnibus rebus per se dignis, quae diligerentur et concupiscerentur, libere praeferebat, facere potuit.

Sin vero interrogas, cur Deus, qui creando libertatem humanam statuerit, vetando eam coercuerit, vetito fructu vel coercita libertate ansam et occasionem praebuerit diabolo tentandi hominem, non temere eum hoc fecisse nos respondemus. Neque dubitamus ostendere, Deum hoc fecisse ex necessitate quadam, quum non nisi per vetitum fructum hominem, num esset, qualem esse eum creator vellet explorare posset, nec nisi probatus homo ad finem perfectionis progressi posset<sup>1)</sup>. Facile enim concedas, hominem libero arbitrio praeditum, ornatumque conscientia, voluntate, indole ethica, bonum esse, quum congruat ipsius voluntas cum voluntate divina et ipse ex libero arbitrio vivat intra fines a Deo positos. Quo sensu bonum Deus hominem, libere amantem Dei et Deo obedientem, non modo creavit, sed etiam ut in vita sese probaret voluit. Quod fieri non potuit, nisi occasione data, ut, aequae libertatis suae vel potestatis eligendi malum ac coercitae potestatis fruendi rebus terrestribus conscius factus, libero arbitrio eligeret bonum et reprobaret malum. Quam occasionem Deus vetito fructu dedit, ex quo homo cognoscere posset, legem divinam ejusmodi esse, quam violare posset, si vellet; obedientiam itaque erga legem quamquam ex amore ingenerato prodiret, liberam esse. Denique per idem interdictum intellexit, sese Deum amare non posse, nisi concupiscentiam naturalem ex sua potestate coerceret, et amorem rerum ipse postponeret amori summi

1) Cfr. Thomasiai „Christi Person und Werk“ I, pag. 219 ss. et 240 et Delitzschii Comment. ad Genes. c. II, v. 16 et 17.

boni. Brevibus ut dicam: Deus per vetitum fructum hominem scientem bonum et malum facere voluit, ita ut conscius suae libertatis, intellectis et concupiscendi licentiae et libertatis finibus, talis ageret et viveret, qualem vivere eum Deus voluit.

Interdicto divino homo, impletus amore Dei, beatus summo bono, lubenter obediebat. Contentus rebus a Deo usui concessis, fructus praesertim, ut ita dicam, summo bono, inopia rei terrestri non doluit; memor etiam minarum Dei, detestatus est non concupivit fructum vetitum, quamquam cognovit per se esse aptum ad vescendum et dignum, qui concupisceretur. — Nihilominus vetito illo fructu homo in ejusmodi statu institutus erat ut a diabolo tentari possit. Nempe diabolus, si ad peccandum solummodo provocasset, sane numquam hominem sanctum, qui Deum amaret, seduxisset. Plane detestatus esset homo diabolum postulantem, ut malum eligeret, bonum reprobarret. Igitur diabolus fore ut hominem seduceret solum sperare potuit, si qua eum decipiendi facultas ipsi praeberetur. Quod illo vetito fructu factum esse contendimus.

Quum enim ne mendacio quidem diabolus hominem fallere potuisset, si mendacio nil veri infuisset, diabolo fructu vetito facultas praebita est, hominem ita, ut verbis ex parte veris eum falleret, tentandi. Vetito nempe fructu fieri potuit, ut homo auctore diabolo haesitaret et consideraret in animo suo, utrum Deus summum bonum esset et ante omnia amandus eligendusque annon? Considerantem vero hanc quaestionem diabolus ad dubitationem, dubitantem denique ad reprobationem Dei fore ut perduceret speravit. — Quum enim diabolus quaereret ex homine, num revera Deus eum vetuisset vesci fructibus omnibus horti, coegit hominem meminisse potestatis sese a Deo avertendi et considerare in animo suo, quae esset illius interdicti potestas. Cogitationes statim exortae sunt hae: summum bonum nihil aliud esse nisi id, quo expleri possint omnes cupiditates. Non expleri omnes cupiditates eo, quo homo impediatur, ne fruatur rebus quibusdam, per se ad fruendum aptis. Summum bonum igitur nihil aliud esse nisi summam bonorum; vel frui omnibus rebus amoenius esse, quam frui nonnullis et carere aliis. Quum ergo Deus hominem vetito fructu impediatur, quominus fruatur omnibus rebus, quaerendum esse,

quomodo Deus summum bonum esse possit, praefendusque summae bonorum. — Magis etiam perturbabatur homo si perpendebat, non modo amoenius esse frui omnibus rebus vel summa bonorum, quam carere nonnullis, sed etiam cum voluntate divina vel cum natura humana ab ipso Deo creata pugnare, quod Deus conderet hominem cum concupiscentia appetituque at simul vetaret eum concupiscere fructum, dignum qui concupisceretur. Non esse credendum, Deum jussisse hominem contra ipsius naturam agere. Deum vetantem igitur non solum summum bonum non esse videri, sed etiam sibi ipsi adversantem, naturam vero hominis violaturum. — Quae cogitationes necessario illa quaestione insidiosa diaboli „Num revera Deus praecepit vobis cetera?“ excitae, facile movebant hominem, ut quaereret utrum Deo et interdicensi quidem esset obediendum, an potius faciendum quod et amoenius et naturae hominis et ipsi Deo magis conveniens videretur, frui scilicet fructu, neglecto interdicto illo singulari.

Quamquam hae cogitationes exortae sunt mulier recordata praecepti divini et minarum gravissimarum redarguit diabolum ita ut e tentatione superior evaderet. Quamobrem diabolus audacius hominem aggressus est, mentitus, non mortis supplicium subiturum esse hominem, sed potius, interdicto illo nec Deo nec homini conveniente neglecto, non modo fructum sed etiam similitudinem Dei vel scientiam boni et mali sibi vindicaturum esse. Non detrimentum capies, inquit, neglecto Dei interdicto, sed summum tibi parabis bonum, quo carebis obediens interdicto illi non divino. Mendax homini Deum quasi impediens hominem a voluptatibus et beatitudine ostendit, ut fidem turbet; mendax etiam maximo splendore ornat bona per praevaricationem acquirenda, ut concupiscentiam fructus sollicitet. Iterum atque iterum quum cogeret hominem considerare in animo suo, utrum Deus summum bonum esset, annon, utrum amoenius esset Deum amare, an frui omnibus rebus et Dei similem fieri, utrum obedientia obstaret atque officeret beatitudini perfectae, annon<sup>1)</sup>: illius mendacis excitati et irritati cupidines promissionibus falsis ita sollicitavit, ut deceptus laberetur homo.

1) Hujusmodi deliberationem prorsus eandem fuisse atque quaestionem

Neque vero propter integritatem homo aequo animo verba diaboli quaestiones illas sollicitantia audire potuit, quum hoc veri iis inesset, quod Deo servire homo non posset, nisi coercitus voluntate divina; quod Deo frui non posset, nisi fines fruendi rebus terrestribus a Deo positos servans. Summum bonum habebat homo, qui Deum amabat, neque vero summam bonorum, quamdiu hoc in mundo sanctitate probata et plane perfecta carebat. Erat igitur revera hominis, uti libero arbitrio non ita, ut omnes res, quas vellet, concupisceret vel omnibus rebus frueretur, sed ita, ut Deo obediens coerceret semet ipsum suamque libertatem. Cujus officii conscium quum facere vellet hominem Deus, vetito fructu diabolo occasionem praebeuit officii molestiam immodice augendi.

Elucet sanctitatem homini innatam impedimentum tentationis non fuisse, immo vero ansam praeuisse diabolo. Homo in sanctitate et justitia conditus tentari potuit, quia, Deo sic ordinante, nondum sanctitate perfecta ornatus, nondum summam bonorum praesertim vero nondum cognitionem boni et mali possidebat<sup>1)</sup>. Non propter solam libertatem igitur, neque propter fines solos naturam libertati humanae positos, sed etiam propter statum a Deo illi tributum vel propter vetitum fructum homo tentari potuit<sup>2)</sup>.

Sin vero quaeras, quae sit tentatio, respicientes rem supra laudatam contendimus, diabolum tentasse hominem quem poneret in statu periculoso, in quo difficilius esset eligere bonum quam malum. Quod fecit cogendo hominem cogitare de bono quasi de re mala, molesta, ingrata, cum natura humana et cum concupiscentia hominis pugnante, de malo autem ut de via acquirendae summae bonorum et beatitudinis perfectissimae.

utrum bonum esset malum an malum bonum, nemo certe negabit. Attamen haec quaestio numquam hominis animam movisset; illae vero quaestiones moverent necesse fuit.

1) Cfr. Lutheri verba ad Gen. II, 17: Adam conditus est „in statu medio: justus, rectus, intellectu praestanti, voluntate recta et tamen imperfecta . . . ; de innocentia, ut sic dicam, puerili esset translatus in innocentiam virilem . . . . Nam puerilem ideo voco, quia fuit, ut sic dicam, medius Adam, qui tamen poterat decipi et cadere“. Cfr. etiam sententias DD. ecclesiae Lutheranae in Thomasia „Christi Person und Werk“ ed. II, I, pag. 240 ss.

2) Cfr. Ullmanni „Sündlosigkeit Jesu“ pag. 155 ss.

Restat ut explicemus, quomodo in tentatione homo sese habuerit. Per verba diaboli conscium factum esse et naturae vetiti fructus et suae ipsius potestatis fines a Deo positos transsiliendi, neque minus necessitatis libere coercendi suam concupiscentiam et appetitum, narratione biblica facile cognoscitur. Mulier enim non modo diabolo, Deum vetuisse fructum, respondet, sed etiam cur vetuerit causam profert. Quod fecit, quia ex diaboli quaestione intellexerat, non modo esse in sua potestate transgredi fines, sed etiam interdictum pro re futili, irrationali, cum natura hominis et cum ipsius Dei sapientia pugnante, haberi posse. Qua scientia acquisita femina nondum a Deo declinaverat. Nondum peccaverat cognoscens se et peccare et per peccatum commissum concupiscentiae satisfacere posse. Quum etiam intelligeret, sese nondum possidere summam bonorum, dolorem inopiae nondum sensit, sed beata amore Dei vel summi boni, ex diaboli verbis hujus rei conscia facta est, omnia bona terrestria summo bono esse subjecta, ideoque omnes libidines humanas amoris Dei vel summi boni esse postponendas. Vitrix itaque evasit e prima tentatione sine ulla pugna non solum inter concupiscentiam pravam et inter amorem Dei, sed ne inter concupiscentiam innatam quidem et obedientiam, aut inter amorem mundi et amorem Dei. Ne de innocente quidem, quem dicunt, antagonismo inter appetitus sensuales et inter spirituales, ad perfectionem sanctitatis necessario, mentionem facit Scriptura sacra<sup>1)</sup>. Obliviscuntur ii, qui homini etiam in statu originalis justitiae degenti antagonismum illum quamvis innocentem infuisse contendunt, in illo omnes appetitus, omnes vires arctissime et quasi organice inter se fuisse conjuncta, ita ut concupiscentia carnis regeretur spiritu, neque umquam concupiscentia sensualis antecederet motus spirituales. Agebat, volebat, concupiscebat homo sub regimine amoris Dei vel amans summum bonum<sup>2)</sup>.

Primum victor homo deinde victus, ubi diabolus hominem non moriturum, immo vero scientiam boni et mali vel similitudinem Dei

1) Cfr. Nitzschii „System der christl. Lehre“ § 97 et § 102.

2) Cfr. Harlessii „Christl. Ethik“ ed. IV, p. 123: „die Lust an Gott schließt jede Lust aus, welche nicht unter dieser Lust steht“ cet.

sibi fructum edendo paraturum esse, dixit. Peccatum exortum est simulatque appetitus fructus vetiti exortus sibi voluntatem hominis protenus subegit<sup>1)</sup>. Homo lapsus est, quum summam bonorum praeferret summo bono, et plane oblivisceretur, se summa bonorum frui non posse neglecto Deo, summo bonorum. Quod peccatum quomodo oriri potuerit in homine sancto semper mysterium non perspectum manebit; per diaboli autem tentationem et per vetitum fructum factum esse aequae constat, ac id, quod Hofmann contendit<sup>2)</sup>, originem peccati esse cupidinem possidendi mundum, qualem Deus homini non dedit possidendum, vel desiderium transsiliendi fines, quos Deus appetitui hominis posuit. Peccatum, ad originem si spectas, nihil aliud est, nisi ἐπιθυμία, quae quidem ipsa est ἐχθρα τοῦ Θεοῦ (Jac. IV, 4)<sup>3)</sup>. Homo non vult Deum abdicare, sed fines qui positi sunt a Deo perrumpere studet. Perrumpendo autem fines Deum abdicet, necesse est.

Uberius de hominis in statu iustitiae originalis tentatione tractavimus propter finem, quem hac commentatione sequimur. Brevius explicabimus quae sequuntur.

### **B. De tentatione hominis peccatoris.**

Post tentationem primam et post lapsum homo non nisi peccator tentatur. Natura hominis quum aegra sit „non potest timere et diligere Deum nec ei credere, quaerit et amat carnalia, iudicium Dei aut secunda contemnit, aut odit perterrefacta“. Concupiscentia hominis facta est „prava conversio ad carnalia, quaerit carnalia contra verbum Dei, hoc est: quaerit non solum voluptates corporis sed etiam sapientiam et iustitiam carnalem et confidit his rebus con-

1) Cfr. Ullmanni „Sündlosigkeit Jesu“ pag. 154—156: „In der Versuchung beginnt die Sünde dort, wo das herantretende Böse anfängt, einen bestimmenden Eindruck auf das Gemüth zu machen“.

2) „Schriftbew.“ I, pag. 413.

3) Cfr. Hofmanni l. l. „Es ist der Anfang satanischer Sünde, sich zu wollen im Widerspruch gegen Gott; es ist der Anfang menschlicher Sünde, die Welt für sich zu wollen im Widerspruch gegen Gott. Nicht Selbstvergötterung will der Mensch, sondern gottgleiche Weltkenntnis und Weltgenuss.“

temnens Deum“<sup>1)</sup>. Homo peccator igitur tentari non potest ut peccet, sed ut peccatum augeat et concupiscentiae pravae agendo obediat. Utrumque autem fieri non potest, nisi nondum ad fastigium peccatorum pervenit homo. Multum autem quum intersit, utrum homo concupiscentiam pravam sequatur agendo, an subigat concupiscentiam conscientiae, ex arbitrio hominis vero quum pendeat, utrum crescat peccati potestas, annon: ipsa concupiscentia prava urget hominem ad peccatum actuale, tentantque eum et diabolus, ut plane eum redigat in suam potestatem, et Deus, ut eum vel convertat ad se vel prorsus obduret<sup>2)</sup>.

### **C. De tentationibus hominis fidelis vel renati.**

Tentatur homo renatus aut per Deum, aut per suam concupiscentiam pravam, aut per diabolum, atque in eo est, ut tentari possit propter sanctitatem imperfectam et propter beatitudinem nondum perfectam. Quum enim illi quamquam renato etiam insit prava concupiscentia „rerum carnalium“, numquam totus „condelectatur legi divinae“ sed solum „secundum interiorem hominem“ (Rom. VII, 22). Prava illius concupiscentia reluctatur voluntati divinae et pugnat cum „lege mentis“ et efficit, ut ne renato quidem Deus semper et omni ratione appareat ut summum bonum, satisfaciens omnibus appetitionibus, dignus cui obediendo et omnes res terrestres recusando serviat. Quo fit, ut electio boni et amor Dei homini etiam renato difficilis reddatur, res vero terrestres quamquam lege divina vetitae illi appareant amoenae et dignae, quae concupiscantur. Neque vero propter hanc solam causam in eo est, ut electio boni difficilior electio mali facilius appareat, sed ex altera etiam causa in statu tentationibus idoneo degit. Quamdiu enim hoc in corpore vitam degit homo renatus, propter σαρκὰ adhaerentem, morti, variisque corporis et animi malis est obnoxius. Quae mala crucient corpus et animum necesse est, quum, contraria atque adversa hominis naturae, poenae sint, a Deo propter naturam humanam per

1) Cfr. „Apol. Conf. Aug.“ Art. II, pag. 81 ss. ed. Muellerei.

2) De singulis hominis non renati tentationibus nihil amplius proferendum nobis videtur, quum nihil juvent ad explicandam Jesu Christi tentationem.

peccatum corruptam sumtae. Quia nonnisi ex aperta Dei de peccato ira existunt, mala mortemque pati nihil aliud est, nisi pati Dei iram vel esse in statu difficillimo hominis aliqua ex parte a Deo deserti. Cum terrore itaque atque odio ea percipiat natura humana, necesse est<sup>1)</sup>. Qui animi motus minime pro peccato sunt habendi, quamvis non nisi in natura humana per peccatum dissoluta et propter peccatum a Deo punita oriri possint. Homo renatus igitur, quum sciat se a Deo amari, et ipse sicuti Deus sua peccata oderit, cum gaudio de suomet ipsius peccato Dei iudicio assentitur (1 Petr. IV, 1. 17. 19). Etiam si natura aequae ac antea reluctatur doloribus mortis, etsi cupido in vitam et beatitudinem conversa est, tamen homo renatus suam peccato affectam et maculatam naturam odit, libere ac lubenter se Dei dextrae summittit (1 Petr. IV, 13), sperans fore ut Deus misericors finem ponat cruciatibus. Cum patientia patitur, taedio malorum legitimo non privatur Dei gaudio, propter vitae cupidinem non abdicat Deum, auxilia Deo adversa non molitur, beatus est, licet beatitudine careat. Qui status patientiae et obedientiae erga Deum poenas sumentem non existit nisi ex acri luctatione difficili naturae humanae, victrix pro odii peccatorum atque amoris Dei magnitudine. Apparet igitur: mala mortemque vel potius Deum irascentem (sc. *σαχλ* hominis) afferre homini renato necessitudinem eligendi inter naturae legitimam beatitudinis et felicitatis cupidinem et inter amorem Dei tot malis hominem cruciantis. Neque temere contendimus hominem renatum non solum propter concupiscentiam pravam vel propter imperfectam sanctitatem, sed etiam propter mala et mortem, quibus obnoxius sit, vel propter imperfectam beatitudinem in statu esse, in quo, eligere bonum quum difficile sit, facile possit tentari (1 Petr. IV, 12) et a diabolo et a Deo et a sua ipsius prava concupiscentia.

a) Exemplum hominis fidelis per Deum tentati semper memorabile in Abrahami tentatione illa nobis praebet, ubi Deus sacrificetur filius unicus amatus postulat. Fides et obedientia Abrahami tentabantur, quum ab eo postularet Deus id, quod naturae legibus immutabilibus et vel ipsis Dei verbis et promissionibus prorsus

1) Cfr. Thomasi „Predigten“ Tom. IV, pag. 184.

repugnare videretur, simulque summum excitaret dolorem, ita ut et sensu et intellectu alienum esset. Rationi, naturae, ipsius Dei voluntati consentaneum videbatur, ut non obediret, summum dolorem effugeret et, quae Deus promississet, acciperet. Itaque homini, quem res inter se diversissimae, ut decerneret, cogebant, inter bonum ac malum differentia adeo minuta videbatur, ut solummodo recte eligere posset qui in ipso Deo summum bonum, in Dei verbo quasi fundamentum vitae sibi invenisset. Abraham tum filii amore progenieiue promissae desiderio, quum Dei amore et ejus voluntatem explendi studio commotus, nonnisi atrociter luctatus obedientiam difficilem eligere, dulcem filii amorem et grandem promissionis spem recusare potuit (Luc. IX, 23—25). Neque huic luctationi peccatum affuit; jure enim filium amavit, jure progeniem desideravit, jure contendere potuit jussum Dei parum ipsius numini antea revelato respondere. Peccatum demum exortum esset, si ex justo filii amore et ex cogitationibus de Dei numine, sibi non congruente, rationem semet habendi et agendi duxisset. — Aequae ac Abrahamum Deus Iobum tentavit, quem satanae opera eo perduceret, ut sentiret, quod ad res terrestres attineret, nullum esse discrimen inter eum, qui Deo obediret atque illum, qui ei adversaretur. Iob Deum, qui dedisset atque sumeret, laudavit. Augetur tentatio, quum ne a corporis quidem cruciatu liberari cognoscat hominem fidelem; jam in eo est, ut de amore Dei desperet neque Deum tot tantosque cruciatu mittentem amplius summum habeat bonum, sed nihilominus, praeterquam quod non satis patienter toleravit, fidelis permansit. Id solum interest inter Iobi atque inter Abrahami tentationem, ut in Iobo cum justo dolore et justa cupidine rerum secundarum atque Dei benignitatis injusta libido seu scelerata divinae voluntatis adversatio jungatur neque tamen superet fidem; ut Abraham vero prorsus in fide imminuta permaneat. — Memoratu etiam dignus videtur status populi Judaeorum in solitudine per quadraginta annos migrantis, ubi Deus non solum per inopiam et labores populo imposita, sed etiam per beneficia (Exod. XVI, 4) mirabilia populum tentat exploraturus, utrum etiam inopia rerum laborantes Deum, promissionibus divinis contenti, ut summum bonum dilecturi, an etiam in summa felicitate, a Deo miraculis parata, contra Dominum mussitantes, cordis malitiam manifestaturi sint.

b) Tentatur etiam homo fidelis renatus concupiscentia prava, quae ipsi inest. Ei enim, qui delectatur lege divina (Rom. VII, 22) per fidem et per amorem Dei, prava indoles, quae res terrestres et carnales, quibus appetitus hominis melius et satius quam per amorem Dei expleri possint, exhibens, voluntatem flectere atque concupiscentiae subigere studet, obstat (Jac. I, 13 ss). Cujus tentationis vis maxima est in homine a Deo tentato, et luctatione gravissima opus est homini, ut fide et amore concupiscentiam pravam vincat neve incidat in dubitationes an Deus ipsum curet, an exaudiat an velit opitulari <sup>1)</sup>.

c) Hominem renatum fidelem et a diabolo tentari Scriptura sacra teste constat <sup>2)</sup>. Cujus tentatio paululum modo, nempe quod attinet ad auctorem, ab illa, quae oritur ex concupiscentia prava, differt, quum ex concupiscentia prava exordium ducat tentandi, eodemque quo concupiscentia modo, liberum arbitrium, praesertim hominis, qui a Deo tentetur, sollicitandi. Neque difficile videtur, homini contra suas rerum carnalium libidines luctanti plurimis malis et praesertim morte etiam obnoxio, denique per Deum tentato res carnales uti summum bonum, Dei vero voluntatem vel ipsum Deum sicut impedimentum voluptatis humanae exhibere, ita ut illi fiducia et amor Dei eripiantur et commoveatur dubitatio de Dei potestate, favore, bonitate, et excitetur concupiscentia rerum a Deo vetitarum vel nondum permissarum. Quae tentationes diaboli vim quam maximam habent, quum legitimo malorum atque mortis taedio odium vel taedium legis divinae, et legitimae rerum terrestrium, beatitudinis, vitae cupidini prava illa concupiscentia „rerum carnalium“ quae inest renato, facile sese adjungat. Itaque luctentur necesse est in homine, diaboli tentatione sollicitato, amor Dei et obediendi voluntas cum cupidine rerum legitima et cum rerum vetitarum concupiscentia prava <sup>3)</sup>.

Si comparamus tentationes hominis fidelis a Deo institutas cum illis a diabolo (vel a consc. prava) profectas, similes esse ex

1) Cfr. Melanthoni locos theol. ed. Lips. a. 1549 „de peccato originis“.

2) Cfr. 1 Cor. VII, 5; 1 Thess. III, 5; 2 Petr. V, 8 et praesert. Job. I, 12. Cfr. 2 Cor. XI, 14.

3) Cfr. Hofmanni „Schriftbew.“ ed. II, 1, pag. 33.

altera parte, ex altera vero dissimiles, facile cognoscemus. Et a Deo et a diabolo homo in statu periculoso ponitur, ubi cogatur eligere inter bonum, quod non satisfaciat appetitibus humanis, et inter malum, quod appareat amoenius quam bonum. Finem autem alium quum persequatur Deus quam diabolus etiam aliam adhibet tentandi rationem. Deus, quum velit hominem ut eligat bonum sollicitare, et bono electo firmare, eo modo tentat, ut obedientiam erga se difficilem reddat, afficiens hominem doloribus et postulans ab eo quod contra naturam humanam vel ipsam divinam esse videatur. Diabolus vero, sollicitaturus hominem ut eligat malum, et firmitur in peccatis, efficit, ut voluntas Dei illi pugnare videatur contra naturam humanam et divinam cum concupiscentia et libidinibus vel cum ratione humana; id vero, quod Deus interdixit, quasi conveniens naturae, rationi, Deo et libidinibus hominis. Multum igitur interesse inter hanc et inter illam tentandi rationem, magnique esse momenti, quod Deus numquam rebus vetitis speciem gratiosam et seductoriā, nec peccato speciem justī, mendacio speciem veritatis induat, ut hominis conscientiam fallat, satis apertum et perspicuum videtur.

Comparandae etiam tentationes hominis innocentis vel in statu justitiae originalis cum illis justificati vel renati. Uterque Deo auctore in eo est, ut tentari possit; utriusque cum Deo communio juncta est inopia rerum terrestrium, pendetque utrum in hac communione mansuri sint ex eo, quam patienter inopiam, quae naturae repugnat, toleraturi in solida erga Deum obedientia atque imminuta Dei uti summi boni delectatione perseveraturi sint. Attamen interest res gravissima. Homini nempe renato, morti, omnibus malis, multisque doloribus propter peccatum inhabitans subjecto concupiscentia prava inest, qua fit, ut illi semper appareant res carnales amoenae praeferendaeque virtutibus vel obedientiae erga Deum. In originalis justitiae vero statu homo, nec concupiscentia prava sollicitatus nec morte aliisve malis turbatus, nonnullis solum ex Dei voluntate caret rebus, ita ut aut perfectam beatitudinem aut perfectam vel plane firmatam sanctitatem nondum possideat. Ab Abrahamo Deus postulavit ut summum, quod unicum etiam erat, bonum terrestre, pignus gratiae divinae, in quo omnes spes positae essent, proderet; ab Adamo

solum, ne, omnibus rebus abundans, unum, quod etiam deesset, desiderans concupisceret. Hominis renati igitur tentatio multo difficilior videtur esse. — Neque minus elucet, hominem renatum tentari a diabolo non ut peccatum incipiat, sed ut concupiscentia mala praesente ad peccatum actuale urgeatur; hominem innocentem vero ut incipiat peccare cessetque diligere Deum ut summum bonum. Sequitur porro, hominem innocentem non nisi a Deo et a diabolo tentari posse, hominem vero renatum et ab illis et sua ipsius concupiscentia. Quas differentias si respicimus, homo renatus non probatum iri tentatione neque victor discessurus videtur, nisi luctans inter concupiscentiam pravam amoremque Dei et inter appetitus justos obedientiamque erga Deum doloribus eum afficientem; homo innocens vero jam lapsus esse videtur, si antagonismus ille, qui dicitur, inter concupiscentiam mundi et amorem Dei oriatur, vel etiam si appetitu justo rerum adhuc denegatarum ita moveatur, ut dubitare incipiat num Deum pro summo bono sit habendus. Attamen nec Adami rei denegatae appetitus refrenatus, nec hominis renati vitae doloribus morteque imperturbatae cupido, neque rerum ex Dei voluntate amissarum tristitia, pro peccatis sunt habenda.

Jam, ad summam rerum hucusque tractatarum melius perspicendam hunc protulerim ordinem:

1. Tentari potest sensu strictiore nemo nisi homo et innocens et peccatorius et renatus. Innocens quidem quamdiu, sanctitate nondum probata, beatitudine perfecta nondum fruitur; peccatorius quamdiu nondum ad fastigium peccatorum vel perfectam malitiam, peccato in spiritum sanctum commisso, pervenit; renatus quamdiu nondum ad perfectam sanctitatem nec ad perfectam beatitudinem processit; omnes itaque quatenus nondum sunt perfecti.

2. Primus tentari potest solum extrinsecus a Deo et a diabolo, secundus atque tertius et ipsorum concupiscentia et extrinsecus, a Deo et a diabolo.

3. Tentari potest homo, quia libero arbitrio vel potestate eligendi bonum vel malum ornatus aliqua ex parte libertate caret, ita ut impedire non possit, ne cogatur cogitare vel sentire aliquid, quo difficilior reddatur electio boni; neque minus, quia est in statu ad tentationem idoneo.

4. Homo in ejusmodi esse statu ex eo cognoscitur, quod illi et integro et renato, quamdiu hac in terra nondum ad perfectionem sanctitatis et beatitudinis pervenit, summum bonum vel Dei voluntas non est quacunquē ratione voluptati, neque satisfacit omnibus appetitibus, immo potius aliquatenus causa inopiae vel etiam dolorum et laborum est.

5. Tentatio ipsa ita fit, ut qui tentat (Deus, diabolus, concupiscentia) omnibus rebus ad tentandum idoneis innisus excitet hominem, ut intelligat et sentiat Deum non esse summum, quod ad libidines et appetitus humanos pertineat, bonum; atque ita excitationem inter bonum et malum cogat eligere.

6. Quod fit per Deum ita, ut hominem aliqua re vel aliquo bono prohibeat, aut ei imponat onera difficillima postuletque ab eo, quae non nisi maximo dolore, natura jure adversante, facere possit; per diabolum autem et per concupiscentiam pravam ita, ut cogant hominem considerare et sentire malum ut summum bonum, Deum vero ut beatitudinis impedimentum<sup>1)</sup>.

7. Tentationem sequitur utique cogitatio, hominem a Deo decedere et sibi voluptates quasdam parare posse, a Deo vel denegatas vel vetitas.

8. Qua cogitatione sollicitatus quum sentit hominem inopiam et dolores et desiderat voluptatem, qua caret, nondum peccat.

9. Peccatum incipit, non ubi homo sentit ipsam inopiam, ipsum dolorem, nec ubi cogitat Dei voluntatem esse contra naturam et hominis et Dei, vel esse ingratham et molestam, sed ubi cogitationes illae sensusve ille movent taedium vel odium Dei et excitant voluntatem ita, ut concupiscentia vel actu quaerat res vetitas.

1) Cfr. Ullmanni „Sündlosigkeit Jesu“ pag. 155. „Die Möglichkeit des Bösen und die versuchende Kraft desselben legt sich dem Menschen in doppelter Weise nahe: entweder so, dass vorgehaltene Lockung ihn zur wirklichen Sünde verführen, oder so, dass drohendes sowohl, als zugefügtes Leiden ihn vom Guten abziehen will. Das erste können wir *positive*, das zweite *negative* Versuchung nennen.“

### CAP. III. De tentationibus Jesu Christi.

Non quaerimus ex Scriptura sacra, quid nos doceat de Jesu Christi natura et indole, fueritne apta quae tentetur nec ne, sed interrogamus, neglecta nostra de tentatione narratione, utrum Jesus sit tentatus teste Scriptura sacra, annon? Quod si factum est, examinantes Scripturam sacram, quo modo vel qua ratione factum sit, reperiemus.

Duo nobis obvii sunt loci Script. sacrae, quibus stricte, Christum esse tentatum, docetur: Ep. ad Hebraeos c. II, 18; c. IV, 15<sup>1)</sup>.

Ad Hebr. c. II. v. 18 ita est scriptum „ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι“. Auctor, qui consolari velit lectores tentationibus cruciatos, Jesum profert tentationes expertum. Tentatum iis, qui tententur, posse auxilium ferre. Tentatum vero esse Jesum ostendit lectoribus, quorum animos in id vertat, quod Jesus passus sit. Tentationes igitur illi e doloribus multiplicibus, quos susceperit, exortas esse auctor contendit<sup>2)</sup>. Etiam si hoc loco nullam de Jesu tentationum ratione mentionem facit auctor, tentatum esse aequae professus est, ac patiundo tentatum esse Salvatorem. — Iterum in eadem epistola c. IV, 15 de Jesu Christi tentatione scripsit auctor: „non enim inquit, habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris (συμπαθεῖν ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν) tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato (καθ' ὁμοιότητα χωρὶς ἁμαρτίας)<sup>3)</sup>. Quibus verbis auctor lectores certiores

1) Quae scripta sunt de tentationibus Jesu a Judaeis vel Pharisaeis institutis Matth. XXII, 18; Jo. VIII, 6; Matth. XIX, 3; XVI, 1; Marc. VIII, 11; X, 2; non huc pertinent. Insidiose quidem quaerunt ex Jesu, num hoc seu illud aut cogitet aut facere velit, ut eum mentem suam et consilia sua ex opinione Judaeorum maligna manifestare cogant; neque vero eum tentant, ut probetur justus vel manifestetur injustus coram Deo, sed coram populo temere judicante.

2) Cfr. Luenemanni „Comm. z. Hebrbrf.“ pag. 89 et Delitzschii „Comm. z. Hebrbrf.“ pag. 99 quorum hic ita vertit „denn nachdem er darin, dass er gelitten, selbst versucht worden ist, kann er denen, die versucht werden, helfen“.

3) Pro πεπειρασμένον = tentatum, ut legitur in text. rec., Tischendorf proponit „πεπειραμένον = expertum. Lachmann contra, innisus Codd. A. B. D. E., priorem retinet, laudatus et a Luenemanno et a Delitzschio“.

facturus de auxilio, quod Jesus sit laturus tentatis, eos monet de Jesu tentationibus, quibus capax sit factus, eosdem labores expertus, qua virtute sit opus ad tentationes vincendas intelligendi; ideoque misericors eos possit sustentare. Quae autem sunt illae ἀσθενεῖαι (infirmitates) quibus potest συμπαθεῖν (compati)? Non sunt ipsi labores vel dolores, quibus tentantur et Jesus et fideles; immo vero infirmitas illa et corporis et animi, quae, modo hac modo illa ratione sese manifestans, homini propter peccatum inhaerens, occasionem praebet vel concupiscentiae pravae vel Deo et diabolo tentandi hominem. Nihil aliud est, nisi status ille hominis, etiam renati, doloribus, malis, morti subjecti, quo fit, ut quaque tentatione facile sollicitetur ad discedendum a Deo et eligendum malum. In eodem statu Jesum infuisse et in eo tentatum fuisse auctor lectores ita ac nos monet. Protenus autem ut caveamus ne falsam ex verbis illis sententiam hauriamus illud „χωρὶς ἁμαρτίας“ addit. Quod additamentum ex Bleekii docta disquisitione idem significat ac: tentatus est neque vero peccatum ortum. Omnibus in rebus aequae ac nos tentatus est, mala diversissima eum supervenere, dolores atque corporis cruciatus usque ad mortem, angores atque animi aestus; illecebrae peccati plurimae, invitamenta, ut Dei obedientiam relinqueret, varia ei institere, at ne paulum quidem peccati in eo ortum est. Ita quoque rem cum aliis interpretibus Delitzsch l. l. intelligit probans Hofmanni sententiam<sup>1)</sup>, dicto χωρὶς ἁμαρτίας non illud κατὰ πάντα, sed potius vocem illam καθ' ὁμοιότητα coerceri, atque ante omnia ex tentatione numquam peccatum exortum esse, tum (qua re hoc factum probetur) etiam tentationem in Jesu nullum peccatum invenisse, significari. Jam idem est, quod Brochmann profitetur assentiente Bleekio: id, quo tentatus sit Jesus, non processisse neque ortum esse ex ipsius perversa naturae indole (Hebr. VII, 26; 2 Cor. V, 21; 1 Jo. III, 15; 1 Petr. II, 22). Itaque, si e contextu apparet ἀσθενείας eas esse, quae tentationi, unde exordium ducat, praebeant atque vim augeant, Jesum, etiam si his ἀσθενείαις affectus fuerit, attamen nec ante nec post tentationes peccasse, perspicuum est.

1) Cfr. Hofmanni „Schriftbeweis“ II, 1, pag. 32.



Quod epistolae ad Hebraeos testimonium maximi nobis est momenti. Primum Jesum esse tentatum nos docet, tum viam nobis munit hujus tentationis rationem cognoscendi. Prorsus enim ac plane eadem Jesu est tentatio atque nostra, quippe qui in eo fuerit, uti tentari possit, atque expertus sit, quae adsit homini difficultas obediendi Deo, et sentiat, quem haec obedientia excitet dolorem et quam luctationem. Itaque Scriptura sacra aequae certis verbis ejus ἀναμυρτησίαν ac eum esse tentatum docet. Minimeque ex sacrae Scripturae doctrina sanctitati aut naturae ejus divinae repugnat, quod tentari potuit. — Sin vero Christus sanctus at nihilominus tentatus est sicuti nos, ejus tentatio non cum peccatoris nondum renati tentatione sed solummodo cum ea Adami atque ea renati comparari potest et necesse est medium teneat inter hanc et inter illam. Nam eo differt ab Adami tentatione, ut Jesus ἀσθενείαις, quae peccatum sequantur, affectus fuerit, neque tamen Adam; eo a renati tentatione, ut huic peccatum vel concupiscentia prava inhaereat, neque tamen Jesu. Sequitur, Jesum, aequae atque Adamum renatumque, solum extrinsecus et a Deo et a diabolo et ab hominibus, sed nec prava concupiscentia, nec infirmitate ipsi adhaerente (ἀσθενείαις) tentari potuisse. Tentationes vero, quae ei accessere, ejus ἀσθενείαις semet adjungerent et hac ex parte cum renati neque vero cum Adami tentationibus similitudinem haberent, necesse erat.

Jam quaerendum est, num Jesu vita hanc epistolae ad Hebraeos doctrinam et quae ex ea collegimus confirmet. Primum nobis obvia fiunt ipsius Jesu verba discipulis dicta Luc. XXII, 28: ὄμεις δὲ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου. Facile contextui respondent, quae A. W. Meyer ad hunc locum monuit, πειρασμοῦς illos fuisse convicia, calumnias, insectationes, insidias, pericula, ac quae Erasmus enarravit: „πειρασμοί, quibus pater coelestis voluit exploratam ac spectatam esse meam obedientiam“. Porro disquirendum, quatenus illae, quas Dominus perpe-sus sit, calamitates notioni τοῦ πειρασμοῦ respondeant; num revera Jesus in calamitates inciderit, quibus aut semet denuo ad Dei partes vertere aut eas relinquere, cogatur; quibus etiam delectus difficilis reddatur, ita ut cum dolore resistat innatae sibi cupidati Deum eligens.

Uti Lucas c. XXII, 28 docet, tentationes in quas inciderat, dolores et mala erant, non suprema illa, sed omnia, quae per totam vitam toleravit. Locutus est enim ea verba ante mala suprema. Aequae locus Hebr. IV, 15 non solum suprema mala spectat sed praecipue, uti ex illis καθ' ὁμοιότητα (sc. ἡμῶν) et κατὰ πάντα apparet, totam vitam donec in terris fuit. Neque enim dolores et cruciatus ultimorum dierum subito ac necopinato ei supervenere, sed omnium rerum, quas in tota vita terrestri passus est, finis ac fastigium fuere. „Tota illa vita Christi erat itio in mortem“<sup>1)</sup>. Itaque πειρασμοί, generatim atque universe dicta, sunt omnia, quae difficilia atque acerba et corpori et animo ejus in tota vita acciderunt; aequae paupertas et iniquities, opera et labor muneris, ac dolores, quos animo de populi et eorum qui circa erant peccatis, de hominum inimicitias et odio sensit; neque minus corporis cruciatus, quos perpe-sus, quam mortis timor, quo animus affectus est (Luc. XII, 50. Jo. XII, 27).

Quibus calamitatibus, Jesum passum esse pro ipsa ac solida vocis vi, ex ipsius verbis, qui dicat animam suam angi de morte cogitantem, apparet. (Luc. XII, 50. Marc. X, 38. Matth. XXVI, 33.) „Anima mea, inquit, turbata est, et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora?“ (Joh. XII, 27.). His in rebus vitae onus tantopere sensit, ut propter ἀσθενείας solus ferre non posset, ut ad preces per-fugeret. Quae quales fuerint ex Hebr. V, 7 „in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est“ apparet.

Jesus patiens in eo etiam erat, ut careret illis quibus bene ei esset et quod pro natura sua desideraret; ut ipsi acciderent, quae dolores efficerent, contra quae natura reluctaretur, quibus liberari optaret. Si enim revera mala ac dolorem sensit, etiam beatitudinem, quae malis careret, desideravit. Quod desiderium minime pro peccato sed justum habendum est. Omnium enim malorum fastigium et in Jesu et in nobis mors est, quae naturam peccato

1) Cfr. Thomasia „Christi Person und Werk“ II, 235, ed. II. „Auf den Tod ist es von vorn herein abgesehen, er steht Jesu als der Ausgang seines Berufsweges bereits mit dem Eintritt in denselben vor Augen, und es ist in s. f. sein ganzer Wandel auf Erden ein Gang zum Tode, eine grosse That des Leidensgehorsams“.

corruptam uti poena sequitur et delet. Quae quum ita sint, jam necesse est, mortem natura humana sibi contrariam atque adversam esse sentiat, ideoque cum terrore et odio percipiat. — Si recte intelleximus, quid in homine renato dolores, omnia mala, mors valeant et efficiant, etiam quid valuerint in Jesu Christi vita conformanda cognoscere possumus. Quum dolores mortemque esse contra hominis naturam constet, etiam Jesu natura humana iis reluctata sit, necesse est. Si porro mors et ingentes illae calamitates, quae ex omnium virium fragilitate oriuntur pro poenis peccati, quas e peccatoribus Deus expetat, quibusque datis homo irae Dei satisfaciatur<sup>1)</sup>, habendae sunt: etiam Jesus, necesse est, iram Dei inter patiendum et inter supplicium mortis senserit. Quum autem omni peccato careret (Hebr. IV, 15; 2 Cor. V, 21; Jo. IV, 34; VII, 18; VIII, 29) poenas dabat peccati et Dei iram sentiebat, quamquam ipse innocens peccata oderat, ipse sanctus Dei in peccata irae assentiebatur. Quonam modo haec res mirabilis fieri potuerit, ex ep. ad Rom. VIII, 3 elucet, quibus verbis apostolus, Deum misisse Filium suum *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας*, nos docet. Quibus etiam verbis, oppositis et illi Ebjonitarum doctrinae, Jesum venisse *ἐν σαρκὶ ἁμαρτίας*, et illi Gnosticorum, *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς* apparuisse, Philippi recte monuit doceri, Jesum assumpsisse *σαρκὰ ἁμαρτίας χωρὶς ἁμαρτίας*. Etiam Joannes apostolus hanc doctrinam profitetur: *λόγος σὰρξ ἐγένετο*, neque vero *ἄνθρωπος ἐγένετο ὁ λόγος*. *Σαρκὰ* Lutherus recte intellexit naturam esse humanam fragilem, calamitatibus omnibus, morti obnoxiam, vel, ut supra memoravimus, *ἀσθενεῖαις* affectam. Quam naturam humanam Jesus Paulo apostolo in ep. ad Philipp. c. II, 7 etiam testante assumpsit, quum *ἑαυτὸν ἐκένωσε μορφήν δοῦλον λαβῶν*. Quod etiam confirmatur circumcisione et baptismate, quibus sese subjiciens Jesus naturam suam humanam, nisi ita secundum legem Moseam purificatam, non placuisse Deo, manifestavit. Scriptura sacra teste igitur Jesu naturam humanam talem fuisse contendimus, qualis per peccatum facta sit, fragilem, debilem, morti obnoxiam et propter peccatum Dei irae subjectam; itaque eum fuisse Jesum, qui sentiret cruciatus

1) Illis poenis datis homo satisfacti quidem Dei irae, neque vero salvus fit, quia hominis culpa non nisi poenae aeternae respondent.

et corporis et animi, mortem pateretur, iram Dei sustineret, poenas peccatorum alienorum daret. „Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit“ (2 Cor. V, 21).

Quomodo vero ipse Jesus in ejusmodi statu peccatoribus digno sese habuerit, qui animi motus in illo propter illas *ἀσθενεῖαις* ex intimo pectore exorti sint, quum innocens poenas daret iramque Dei, cuique homini intolerabilem, pateretur, explicare non possumus nisi antea causis, cur haec res mirabilis facta sit, pervestigatis. Deum non temere vel ad arbitrium, ut ita dicam, caecum succensuisse filio suo innocenti et omni peccato carenti constat. Ipse autem Jesus ab initio usque ad vitae finem homines, mortem suam, omnium quos perpessus esset dolorum finem, in qua omnes irae Dei terrores ad fastigium pervenissent, necessariam esse, docebat. Quam necessitudinem non eo ortam declarat, quod mundus, contra Deum et eos qui illi serviant furens, vel quod diabolus, Dei ejusque imperii odio impletus, interitum et mortem hominis sancti Jesu Christi adducere studuerint, immo potius, quod ipse Deus hunc vitae exitum consilio firmo suo et immutabili voluerit atque destinavit<sup>1)</sup>. Passio igitur Christi divinitus erat praedestinata; neque vero propter mundi et diaboli inimicitias, ut probaretur justus, passus est. Quamquam probaretur justus in passione necesse fuit, non ut probaretur, immo vero ut ipse patiens divinum decretum exsequeretur, et irae Dei satisfaceret, passus est<sup>2)</sup>. Deum enim voluisse et postulasse Jesu mortem quum, ipso Jesu Christo testante, constet, etiam pro certo habendum esse, illum hoc fecisse, quia non nisi morte Jesu Christi salvum facere posset mundum vel homines sibi placato reconciliare, nobis videtur. (Jo. III, 16; Hebr. IX, 15. 16.)

Qua de re amplius loqui non est hujus commentationis. Nostra interest, ut probetur, Jesum mortem, pro Dei voluntate et pro fine, quem Deus hac voluntate petierit, necessariam, non nisi obe-

1) Cfr. Matth. XVI, 21; XVII, 22; XXVI, 2. 54. Marc. VIII, 31—33. Luc. IX, 22; XVIII, 31. 32; XXII, 22. 37; XXIV, 26. Jo. III, 14; XVIII, 11; XIX, 11. 30.

2) Optime hanc rem jam contra Hofmanni opiniones explicavit Delitzsch in illa de *satisfactione vicaria* commentatione praeclara, quam commentario in ep. ad Hebr. annexuit.

dientiā et obsequio perpeti potuisse. — Quod firmatur ep. ad Rom. c. V, 19 ss.; ad Hebr. X, 9. 10, et tota narratione evangelica. Omnem vitam obedientiam fuisse, et activam et passivam, non solum apostoli sed ipse Jesus clare distincteque nos docent. (Jo. XIX, 30; Matth. XXVI, 33, 54.) Quod autem si statuimus, addamus necesse est, Jesum huic necessitati non ita obnoxium fuisse, ut eam effugere omnino non posset, et vel repugnans, ut mortem subiret, cogere- retur. Absit haec sententia naturā Jesu divinā prorsus aliena. Immo vero libere obedientem Jesum Dei voluntatem immutabilem exsecutum esse, libere mortem subiisse, contendimus. „Potestatem, inquit, habeo ponendi vitam et potestatem habeo iterum sumendi eam“ (Jo. X, 18). Ergo poenas gravissimas, mortem atque iram Dei patiens, nihil aliud neque fecit neque passus est, nisi quod ipse voluit. Utrumque tenendum est, et patrem eum misisse in mundum ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, et ubi ipse εἰαυτὸν ἐκένωσεν, ipsum assumptione μορφήν δούλου, ut irae Dei sese subderet, „animamque suam daret redemptionem pro multis“. (Hebr. II, 17; Matth. XX, 28.) Aequae constat, Jesum a Patre esse traditum potestati tenebrarum (Luc. XXII, 53; Jo. XIX, 11) ac illud, eum potestatem habuisse „sumendi vitam et ponendi eam“. Quae valent non modo si respicis actum ipsum assumptionis naturae humanae ἀσθενείας affectae, qua fieri potuit, ut pateretur dolores, varia mala, mortem, iram Dei, sed etiam quod attinet ad singulum quemque vitae actum et ad singulam quamque passionem. Semper et ubique patitur et quae Pater voluit, vel quae, ut fiat decretum salutis, necessaria sunt, et quae ipse voluit et vult. Nihilominus autem Jesus, vitam in terris degens et poenas solvens, sese non exhibet perficientem suam voluntatem, immo vero obedientem Patri, quia, dum consilium capit humanam naturam assumendi, simul sibi proposuit omnem volendi et nolendi potestatem divinam abjicere, ut secundum morem vere humanum nihil faciat nisi jussu vel permissu Dei, patiatur etiam omnia quae Pater sibi sit immissurus <sup>1)</sup>). Statuendum igitur, Jesum potuisse pati et mortem subire, quia et Pater et ipse voluerant; passum autem esse et mortem subiisse ita, ut, quae ipse sibi pro-

1) Cfr. Thomasiai „Christi Person und Werk“ II, pag. 235.

posuerat, acciderent quasi aliena vel potius quasi orta ex voluntate alterius, Dei Patris.

Quibus rebus cognitis, qualis fuerit Jesu patientis animus recte intelligemus. Sicuti homini, qui doloribus, laboribus, malis afficitur, vel ei, qui moritur, accidunt res, quas naturae et voluptati adversas non vult, quas etiam effugere desiderat: ita etiam homini Jesu Christo, quum perpetetur cruciatus multiplices et iram Dei intolerabilem, accidere quae ipse noluit, quae, desiderans et corporis et animi beatitudinem, effugere optavit. Duplex igitur illi inerat voluntas, duplex etiam desiderium: voluntas effugiendi mortem et voluntas subeundi illam in obedientia erga Deum; desiderium beatitudinis et desiderium exsequendi Dei decretum et salvandi homines per mortem suam vicariam. Jam vero altera voluntas pugnasset cum altera, alterum desiderium cum altero, nisi omnium animi virium concentum Jesus, semper opprimens alteram voluntatem altera, alterum altero desiderio, restituisset. Quod sine luctationibus sensui acerbissimis, sine contentione maxima omnium animi facultatum fieri non potuisse, non solum ex re ipsa probari posse videtur, sed etiam e sacra Scriptura argui potest.

Consideremus necesse est Jesu in horto illo Gethsemane verba. Discipulis (Matth. XXVI, 38) dixit: „περιλυτός ἐστιν ἡ ψυχὴ μου ἕως θανάτου“; tunc: „Πάτερ μου — precatur — εἰ δυνατόν ἐστι παρελθέτω ἀπ’ ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο· πλὴν ὅχι ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ’ ὡς σὺ“; iterum: „εἰ οὐ δύναται τοῦτο τὸ ποτήριον παρελθεῖν ἀπ’ ἐμοῦ... γενηθήτω τὸ θέλημά σου“, vel uti refert Lucas: „πλὴν μὴ θέλημά μου ἀλλὰ τὸ σὸν γενέσθω“. Quis est, quin ex his verbis intelligat, Jesu animam, imminente morte, ita timore fuisse turbatam, ut dubitaret de necessitate immutabili mortis. Jesum igitur, anima timore turbata, mente angore obscurata, conscientia necessitatis amissa, non mortem subeundi sed solam Deo obediendi voluntatem tenuisse, elucet. Et vel ipsa obediendi voluntas adeo minuta erat, ut non solum oppositam esse suam voluntatem voluntati Dei distinctis verbis exprimeret, sed etiam ter a Deo „cum clamore valido“ peteret, ut „salvum se faceret a morte“. Effugere vult mortem; quum autem non nisi Deo opitulante eam effugere velit, obedientiam plane integram esse manifestat. — Porro crucifixus clamaus „Θεέ μου, inquit.

Θεέ μου, ἵνατί με ἐγκατέλιπες“. Quae verba ex corde doloribus lacerato, ex anima Dei ira oppressa, supplicii divini terroribus suffocata, exorta nos docent, in ipsa morte Jesum non solum quasi dubitasse, immo etiam quaesivisse ex Deo, cur faceret, quod esset contra naturam et contra Deum, quum filium suum sanctum et justum, qui amaret et desideraret Patrem, abdicaret. Jesus, qui in mundum venerat, quem morte sua redimeret, in ipsa morte, de sua salute quasi desperans, interrogando ex Patre quaesivit, cur poenas has terribiles sumeret. Qua re ad ultimum obedientiae finem Jesum, qui jam paene desperans interrogaret, pervenisse, nihilominus autem, quia etiam interrogabat Deumque suum Deum appellabat, in obedientia perseverasse cognoscimus. Quibus rebus satis probatum habemus, vere luctatum esse Jesum contra vitae, beatitudinis et gloriae desiderium, qui vere intelligeret atque sentiret, voluntatem divinam ita naturae humanae (sc. propter peccatum) esse contrariam, ut eam effugere vellet. Quum igitur intelligeret atque sentiret, Deum naturae humanae peccato affectae non esse summum bonum vel summae voluptati, nos Jesum fuisse in eo, ut tentari posset, sine dubio recte ponemus, nisi antea res nonnullae essent respiciendae.

Si quis quaerat, quomodo fieri potuerit, ut Jesus in eo, ut possit tentari, fuerit, quum omni carcat peccato, respondeamus necesse est, sanctitatem minime nostrae sententiae obstare. Quod non solum probatur exemplo Adami, sed etiam hominis renati, cujus vitae, beatitudinis, cum Deo communionis perfectae cupido aequae ac mortis et Dei irae timor non pro peccato habenda immo vero per se legitima sunt. Itaque ausim contendere, hominem, quo majore animi et corporis sinceritate fruatur, eo majore vitae cupidine et eo majore mortis timore moveri. Quod quidem in homine renato non apparet, qui gratia divina et remissione peccatorum fruatur, cui dolores et omnia mala ex Dei benignitate fluxisse videantur, cui ne moribundo quidem de Dei gratia desperandum sit, quum „absorpta sit mors in victoria“. In Jesu vero vita et passione suprema et morte apparet, illum, qui sincerus justusque poenas hominum peccatorum Deo dedit adhuc irascenti, „stimulum peccati, maledictum legis“ et irae divinae terrores magis sensisse

quam nos, qui et peccato maculati et morti assueti et Deo reconciliati simus<sup>1)</sup>.

Sin vero quis his nostris verbis innisus contendere velit, aut ex justa cupidine et legitimo desiderio, ex innocuo mortis et malorum taedio numquam oriri posse facinus cum lege divina pugnans vel peccatum, ideoque non serio Jesum potuisse tentari, aut, si facinus ex illa cupidine et ex illo taedio ortum pro peccato sit habendum, etiam facinoris radix aegra fuerit, Jesusque tentationi quidem obnoxius sanctitate caruerit, necesse esse: nos sententiam prorsus contrariam statuimus. Quamdiu in terris vitam degebat, et quamdiu Deus eum malis et morti obnoxium esse volebat, ut sese probaret justum atque „disceret ex iis, quae pateretur, obedientiam“, impletetque legem pro nobis, poenasque peccatorum daret pro nobis, vel ut brevibus, quamdiu in statu erat humilitatis, tamdiu in eo erat, ut doleret illo statu desideraretque alium, videlicet statum exaltationis vel felicitatis humanae et gloriae divinae. Maluit esse Messias gloriam et divinam suam potestatem manifestans, quam agnus Dei mactatus pro nobis; maluit mundum salvum facere per omnipotentiam quam per obedientiam et mortem suam. Quod desiderium minime Jesu animam puram maculavit, quamdiu Deo obediendi, et salutis decretum ἐν μορφῇ δούλου exsequendi voluntate compecebatur. Idem autem illud desiderium, quamvis legitimum, causa fieri potuit peccati. Etenim sine dubio Jesus peccasset, si desiderium illud legitimum et justum ita secutus esset, ut illi magis quam Dei voluntati obediret. Cupidini suae obsequens aeternum Dei salutis decretum vanum reddidisset et pervertisset. Erat ergo in Filio Dei, quamdiu ἐν σαρκί vitam in terris degebat, cupido agendi et fruendi, vel, ut ita dicam, concupiscentia, quae ad facinus eum urgebat, quod si esset commissum, pro peccato erat habendum. Quamobrem in eo propter ἀσθενείας fuisse Jesum, ut tentari vel ad peccandum pellici posset, tenemus. Concupiscentia enim, quae innocua ei inerat, eis qui tentaturi Jesum aggrediebantur, ansam praebebat. Quae cum ita se habeant, nos Jesu indolem et naturam respicientes nec id mirabimur, quod Deus vel ipse Jesum

1) Cfr. Thomasiai „Predigten“ Tom. IV, pag. 186. — Cfr. Carlblomii „Das Gefühl u. s. w.“ 1857. p. 167 ss.

tentationibus exploravit, vel diabolo et hominibus eum ad peccatum pelliciendi veniam dedit.

Attamen aliam eamque gravissimam rem sententiae nostrae adversarii opponunt. Constare dicunt, quod minime negamus sed potius immutabili tenacitate semper profitebimur, Jesum, quum sit Filius Dei vel ipse Deus *λόγος*, numquam non declinasse a Dei Patris voluntate, immo vero sese justum sanctumque probasse usque ad resurrectionem seu initium status gloriae. Errant autem qui hac ex re intelligi posse putant, Jesum necessitate quadam coactum semper et ubique Patri obediisse, quippe qui Filius sit Dei neque possit peccare. Quam sententiam falsam esse ex eo cognoscas, quod qui illam defendunt etiam contra Scripturae sacrae testimonium serio tentari eum potuisse negant vel negent necesse est. Neque satis rationem habent naturae Jesu humanae, neque *ἐνσαρκώσεως* vim recte intelligunt, qui luctationem, quae aderat, ex necessitate victricem fuisse dicunt.

Quod ex Scriptura sacra probaturi omnes illos huc afferamus locos, quibus Jesu in resurrectione, in ascensione, in sessione ad dextram Patris manifestata gloria nobis ut obedientiae merces exhibetur. (Philipp. II, 8—10; Hebr. XII, 2.) Merces non datur nisi bene merenti. Meritum autem mercede dignum, si quis necessitate coactus aliquid facit vel patitur, nullum adest. — Pugnatur etiam illa sententia cum omnibus illis Scripturae sacrae locis, qui de obedientia Christi mentionem faciunt. Obedientiae voce enim sensu stricto significari non potest, quod non libero arbitrio sed propter necessitatem quandam ita perficitur, ut de non obediendi potestate ne cogitari quidem liceat. — Pugnatur denique contra Scripturae sacrae doctrinam, quae Christum naturam humanam assumpsisse affirmat. Neque enim eo consilio naturam humanam vel *σαρκὰ* assumpsit, ut hominem sanctum et obedientem sese praeberet omnipotentia divina, qua humana natura omnino caret; immo vero hominem justum sese exhibens ad vicem hominum ipse homo poenas peccati dare voluit. (Matth. III, 15; Hebr. V, 8; Philipp II, 7.) Ex more humano egit et passus est, viribus humanis usus est, adminicula vere humana, preces atque fidem, adhibuit, opem consolationemque amicorum in calamitatibus quaesivit.

Quod igitur a Deo non declinavit, non ex divinae naturae indole sed per liberam obedientiam humanam evenit. Propter naturam divinam non potuit peccare vel non potuit non perseverare in obedientia, propter naturam humanam vero perseveravit ex libertate humana, quae non est nisi cum potestate peccandi conjuncta. Propter naturam divinam non fieri potuit, ut peccaret, propter naturam humanam potuit peccare. Itaque quamquam peccare potuit non fieri potuit, ut peccaret. Alterum alteri esse oppositum si quis contendat, nos, mysterium altum, quod perspicere nequeamus, *τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου* hic adesse ingenue profitentes, animadvertendum esse putamus, non alio nisi hoc modo utrumque, Jesum Christum et Deum et hominem fuisse, teneri posse. Ea enim est vis *ἐνσαρκώσεως*, ut, qui divina fruatur potestate vel omnipotentia, solido sibi proposuerit decreto eam in vita terrestri non adhibere, immo vero sese totum tradere in Patris sui potestatem, ita ut suum ipse divinum consilium aequae ac Patris laesisset, si potestate et vi divina, non solum ut se ipsum contineret et compesceret <sup>1)</sup>, sed etiam ut vitae humanae inopiam tolleret, mortem evitaret, legem divinam hominibus datam negligeret, passionem irritam vanamque redderet, usus esset. Quod si fecisset etiam peccasset. Fieri autem non potuit, ut hoc faceret propter immutabilem, qua divinam suam potestatem compescuit, voluntatem divinam. Ei autem, quamdiu in terris homo vitam degebat, propter naturam vere humanam inerat potestas declinandi a Deo et eligendi gloriam vetitam, propter naturam divinam potestas adhibendi potentiam suam divinam et gloriam sibi parandi vetitam. Ergo si perseveravit obediens, patiens, moriens, Jesus hoc fecisse apparet *libertate* aequae humanae ac divinae opprimens suam vitae cupidinem, suam beatitudinis et gloriae desiderium, et libere compescens suam et divinam et humanam potentiam eligendi vitam, beatitudinem, gloriam. Quis est, quin confiteatur, eum vere hominem vere Deum passum esse? Salvator igitur, cui inerat ex altera parte libertas, ex altera et desiderium et potentia

1) Cfr. Hilarii de trinit. I, XI, 48: „Quod autem se ipsum intra se vacuefaciens continuit, detrimentum non attulit potestati, cum intra hanc exinanientis se humilitatem virtute tamen omnis exinanitae intra se usus sit potestatis.“ in Thomasiai „Christi Person und Werk“ II, pag. 181. Annot.

tollendi statum sibi difficillimum humilitatis, in humilitate perseverare non potuit nisi desiderio gloriae et obediendi voluntate assidue luctantibus. Quae luctatio semper victrix esset, necesse fuit; vincere tamen non potuit Jesus nisi vere luctatus. Numquam ne concupiscentia quidem adhibendae potentiae divinae exorta est, semper autem hoc evenit, ubi, serio luctatus, libere coërcuit gloriae et felicitatis concupiscentiam.

Quae cum ita se habeant, quis est qui neget, humilitatem Salvatori meritum parasse, aut fuisse vere liberam obedientiam, non fuisse habitum necessarium immo vero difficillimum opus, quod non nisi ab homine, qui esset Filius Dei, perpetrari posset? Quis est, qui infitietur, Jesum propter gloriae concupiscentiam, propter libertatem humanam, propter potestatem divinam, propter luctationem, qua opus ei erat, ut victor evaderet, non fuisse in eo, ut tentari posset? Non fieri potuit, ut peccaret, sed potuit tentari, qui esset in statu tentationibus idoneo, qui non frueretur gloria et beatitudine desiderata, qui gloriam nisi luctatione difficillima recusare non posset, qui libertate vere humana et potentia vere divina esset praeditus. Tentari potuit ita, ut, doloribus auctis, gloriae deliciis ante oculos positus, facultate gloriae sibi parandae explicata, felicitatis concupiscentia irritaretur, ut mortis timor cresceret, luctatio itaque difficilior, obedientia molestior redderetur. Neque enim impedire potuit, quominus afficeretur doloribus, vel quin quisquam verba, quae excitarent cogitationes alienas et irritarent concupiscentiam, sibi diceret. Sentiret, quae alii fecere; audiret, quae alii cogitare et locuti sunt, necesse fuit.

Quamquam Jesus in eo fuit, ut tentari posset, propter sanctitatem tamen numquam suis cogitationibus, suo gloriae desiderio tentari potuit. A Deo autem, ab hominibus, a diabolo tentari potuit. Quod quum fieri posset, etiam, ut probaretur Jesus in tentationibus, fieret necesse fuit. Deus quidem numquam ejus gloriae concupiscentiam verbis fallacibus excitavit, numquam verbis captiosis eum coëgit voluptatem perpendere, quam sibi parare posset, sed eum tentavit dolores tantos ei immittens, iram suam eo modo in eum effundens, eum ita diaboli et mundi arbitrio permittens, ut, obedientia erga Deum difficillima reddita, paene oppressus oraret:

„*ἔτι δυνατόν ἐστι παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο*“ —, et paene desperans interrogando clamaret: „*ἵνατί με ἐγκατέλιπες*“; Homines vero, peccato occaecati, bono vel malo consilio eum, pellicientes ad peccandum, tentavere. Petrus eum de mortis necessitate loquentem hortatur, ne subeat mortem neve patiat, quod nec Messiam nec Dei Filium deceat. (Matth. XVI, 21. 22.) Sacerdotes vero eum jubent descendere de cruce, ut divinam suam potestatem probet, adversarios maleficii convincat, et mortis cruciatus effugiat. (Matth. XXVII, 42. 43.) Nonne hi tentantes Jesum sollicitaverunt cogitare de humilitate miserrima et de passione sua ut de re turpi contumeliosa, parum conveniente cum natura divinae majestatis vel cum hominis, qui esset Dei Filius, dignitate, parum etiam congruente cum justitia Dei justum hominem amantis et tutantis; de gloria autem, quam ipse desideravit, quam sibi parare potuit, uti de re non solum amoena sed etiam et hominis justae et Dei Filii naturam decente? Nonne gloriae desiderium, dolorum taedium verbis illis captiosis auxere, nonne obedientiam difficiliorem reddidere, Jesumque ut iterum consilium suam potestatem compescendi, sese Dei arbitrio quamvis obscuro subjiciendi, renovaret, coëgere?

Sed unam etiam rem esse memorandam putamus. Sicuti Jesus propter sanctitatem et justitiam solum extrinsecus, ita etiam una solum ex parte, etsi vario modo, tentari potuit. Uti enim non fieri potuit, ut Adam in statu integritatis in blasphemiam aut in divortium pelliceretur, sed solummodo, ut violaret interdictum illud divinum et gustaret fructum vetitum, ita etiam alter Adam Jesus non sollicitari potuit ad decem praecepta violanda, sed ad id solum, ut tolleretur statum humilitatis et sibi pararet gloriam a Deo adhuc denegatam, concitari potuit. Soli huic tentationi ea inerat vis, quae Jesu appetitus, innocuos quidem ad gloriam vero parandam urgentes, movere posset. Appetitiones illae vero, vel desiderium gloriae Messiae dignae, profluxerunt ex illo corporis et animi voluptatum desiderio, ex illa honoris et potestatis cupidine, quae non solum Messiae sed omnibus insunt hominibus, omnibusque eorum tentationibus materiæ praebent, atque post lapsum in carnis et oculorum concupiscentiam et in vitae superbiam (1 Jo. II, 16) permutata, homines lapsos ad decem Dei praecepta violanda urgent. Errant itaque illi,

qui dicunt, Jesum esse tentatum ut exploretur, utrum satisfactorius sit carnis concupiscentiae et vitae superbiae, an recusaturus voluptatem terrestrem et honorem mundi<sup>1)</sup>; neque minus et illi errore sunt capti, qui dicunt, Jesum tentari potuisse solummodo quod attineat ad viam, quam initurus esset Messiae munere fungens<sup>2)</sup>. Recte jam et optime utramque rem conjunxit Ullmann, qui dixit: „Eine bloss theoretische Wahl zwischen falschen und rechten Messiasgedanken wäre noch keine Versuchung gewesen. Dazu gehörte, dass der falsche Messiasgedanke etwas blendendes, etwas für die sinnliche Selbstliebe verlockendes hatte. Und dass er diess hatte, ist ebenso unzweifelhaft, als es klar ist, dass er es für Jesum nur haben konnte, insofern auch in ihm die *allgemein menschliche* Empfänglichkeit für den Gegensatz von Lust und Unlust, Freude und Schmerz vorhanden war“<sup>3)</sup>. Compertum igitur habemus, quo jure auctor ep. ad Hebraeos appellare possit Jesum „πειρασμένον κατὰ πάντα καὶ ἑμμοιότητα sc. ἡμῶν“; et credendo intelligimus fideque tenemus, quae profitetur: „ἔχομεν ἀρχιερέα δυνάμενον συμπαθεῖσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν καὶ βοηθεῖσαι πειραζομένοις, αὐτὸς πειρασθεὶς“.

Quibus rebus pervestigatis nostram de tentatione in solitudine relationem cum iis, quae de Jesu Christo tentato per totum N. Testamentum narrantur atque docentur, comparare et comparatam judicare possumus. Si discrepat, historiae veritas in ancipiti est, si consonat omnibus Jesu tentationibus, etsi differt aliqua ratione, pro vera non solum est habenda, sed etiam novam et profundioram Jesu Christi tentati cognitionem ex illa haurire possumus.

Inter omnes, quas adhuc pervestigavimus, Jesu tentationes nulla exstat per diabolum tentatio, haec igitur a diabolo instituta primo jam aspectu prorsus ab illis videtur discrepare. Qua re, priusquam ipsam relationem aggrediamur explicaturi, de diabolo Jesum tentante nostram necesse est proferamus sententiam.

1) Cfr. Rinkii sententiam, prolatam in commentatione „von den der Versuchung des Herrn zu Grunde liegenden Hauptgedanken“, quae invenitur: „Deutsche Zeitschrift u. s. w.“ a. 1851. Nr. 36.

2) Cfr. Pfeiffer „Die Versuchung des Herrn“ in „Deutsche Zeitschrift u. s. w.“ a. 1851. Nr. 22.

3) Cfr. Ullmanni „Sündlosigkeit Jesu“ pag. 162.

#### CAP. IV. De diabolo Jesum tentante.

Quum de diabolo Jesum tentante nobis sit disserendum, eorum non obliviscemur, qui propter diabolum et propter ea, quae narrentur de eo, relationis veritatem esse refutandam, contendere. Attamen brevi solum expositione opus est, quum nihil amplius nisi id, num, quae narrata sint, cum Scriptura sacra congruant et sibi consonent, quaerendum sit.

Primam illam adversariorum opinionem, non esse diabolum, Scripturae sacrae testimonio defendere sane nemo audebit. Quod enim protulere, in V. Testamenti libris ante exilium scriptis nullam de diabolo fieri mentionem, falsum esse, quum Iobi libro ante exilium conscripto de diabolo doctrina insit, satis aperte jam viri doctissimi explicavere; neque minus jam demonstravere, quae in libris post exilium scriptis (1 Chron. XXI, 1; Sach. III, 1) doceantur, e Persarum religione non esse hausta. Vix etiam quisquam inveniatur, qui dicat, Jesum de Satana nihil docuisse, immo vero ejus mentionem facientem Judaeorum superstitioni sese accommodasse. Scriptura sacra et Novi et V. Testamenti nos, esse diabolum, eumque ab initio homicidam et mendacem, Evam tentasse hominesque semper tentare, docet<sup>1)</sup>.

Magis nostra interest, num fieri possit, ut diabolus appareat, quaerere. Quum semel tantum illa in solitudine Jesum tentans apparuisse narretur, nostrae de hac re narrationis cum aliis Scripturae sacrae locis comparandae facultas non datur. Scripturae sacrae ope igitur demonstrandum solum est, nil obstare, quin diabolo apparendi facultas tribuatur; tum, cur hic apparuerit, ostendendum. — Nullum autem Scripturae sacrae esse locum, quo doceamur, diabolum nisi rebus externis adhibitis vel hominibus intercedentibus non posse tentare, nemo certe negabit. Itaque apparendi facultatem ei inesse contendimus, quum angelorum natura sit praeditus, quos ei inesse contendimus, quum angelorum natura sit praeditus, quos apparuisse omnis Scriptura sacra confirmat. Etiam in prima illa Evae tentatione eum ipsum praesentem cognoscimus, praesertim

1) Cfr. Genes. III, 1. c. Apoc. XX, 2; Jo. VIII, 44; de singulis vero S. S. locis et S. S. de diabolo doctrina Hofmanni „Schriftbeweis“ I, pag. 378 ss. Thomasia „Christi Person und Werk“ I, pag. 294.

quum naturae ordine dissoluto extraordinariam suam potestatem manifestarit. Cur autem hac in Jesu tentatione, nescimus qua specie, ita apparuerit, ut a Jesu praesens statim cognoscatur, his fere possumus explicare.

Diabolus hominem, quem fallat et decipiat, occultus aggreditur. Quo magis enim homo sibi persuadet, semet ipsum esse, qui libero suo arbitrio permotus, nemini nisi suae rationi obediens, res vetitas ut sibi majorem paret felicitatem, quaerat, eo facilius ad facinus committendum et Dei interdictum negligendum pellicitur. Hominem vero ita tentandi, ut a diabolo sollicitatus e suo arbitrio agere sibi videatur, facultas diabolo data est, cui jam adsit, ut ita dicam, in ipso hominis animo socia, consupiscentia prava. At quia, homo sanctus extrinsecus tentaretur, necesse fuit, etiam non potuit tentari, nisi ratione minus occulta. Quamobrem sub mirabili serpentis specie homo a diabolo tentatus est, ita ut nos certe diabolus fuisse, qui tentaverit, intelligere possimus, quamquam Eva solummodo esse aliquem Dei inimicissimum, neque vero esse diabolus cognovit. At alia erat res, quum diabolus Jesum aggressus est tentaturus, quem cognosceret esse Filium Dei, summa intelligentia, ingenii vi eximia praeditum. Quem quum decipere omnino non posset, occultatio sui nihil profuisset. Semper et occultissimum Jesus cognovisset Satanam. Quod dilucide apparet ex illis Jesu sermonibus, quibus adversarios docet, diabolus eorum odii et doli mali esse auctorem (Jo. VI, 70; VIII, 44), quibus populum et discipulos docet, illum esse causam cujusvis peccati et cujusque rei malae quasi principium, neque esse Dei inimicitiam, quae non ex illius malitia sit orta. (Marc. IV, 15; Luc. VIII, 12; Matth. XIII, 39; Jo. II, 10; Matth. XII, 28.) Subiturus etiam supplicium mortis, diabolus esse, qui Messiae inimicissimus cruciatus illos immittat, declarat. (Jo. XIV, 30; Luc. XXII, 53; Jo. XIII, 27 cfr. c. VI, 70.) Neque dubitat, quin tentationem Petri a diabolo profectam esse judicet (Matth. XVI, 23). Quum igitur occultus Jesum tentare non posset, apparuit; quum quaque forma indutus cognitus esset, non sub serpentis specie, sed ita apparuit, ut Jesus statim quis esset compertum haberet. — Sunt autem qui contendunt, etiam minus credibile esse diabolus apparuisse, qui Jesu intellectum sese effugere nullo modo posse,

intelligeret. Pugnare dicunt cum maximo diaboli intellectu, quod speraret, fore ut seduceret ad peccandum quem ne falli quidem posse cognosceret; parum etiam convenire cum calliditate, quod, si nihilo minus susciperet tentationem, eam eligeret viam, qua tentationem irritam redderet. Quas sententias qui protulere, haud satis consideraverunt diabolus per totam Jesu vitam omni ratione, ut everteret Messiam, periclitatum esse, quamvis Filium Dei salutis decretum ad finem perducturum, diaboli opera dissoluturum, inimicos superaturum, e passione et ipsa morte victorem processurum esse, scire debuisset. Inde sequitur: diaboli odium Dei et malitiam adeo superasse intellectum, ut susciperet, non modo quae nisi vana irritaque non evenire possent, sed etiam quae si minus fuisset odio occaecatus, vana et irrita futura cognovisset. Rationem etiam habeant ii, qui propter diaboli intelligentiam non fieri potuisse contendunt ut Jesum tentaturus aggredere, illius rei, quod diabolo Dei inimicissimo illud divini amoris mysterium τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου semper imperspicuum mansit, ita ut hominem Jesum ἐν μορφῇ δούλου ex more hominum vitam degentem, ἀσθενείαις affectum tentari quidem posse, seduci autem non posse, non satis cognosceret. Quod jam veteres ex suo more optime explicavere de diabolo Jesu Christi naturam humanam decepto disserentes.<sup>1)</sup>

Sin vero quis dicat, nos adhuc solummodo demonstrasse, fieri potuisse ut diabolus Jesum ipse apparens tentaret, nondum vero necessitatem, ex qua esset factum, probasse, quum ex Jesu vita diabolus postea nisi occultum salvatori non insidiatum esse appareret: animadvertendum est, propter ipsum primae tentationis even-

1) Cfr. Lutheri opp. ed. Walch Tom. XII. p. 2042: „Gott schickte Christum auf Erden ins Fleisch. Aber der Teufel versah sich solches gar nicht; dachte, er wollte ihn auch bald auffressen, steckte ihn zum ersten in die Sünde, dass er verurtheilt und gerichtet wurde wie ein Gotteslästerer. Darum meint der Teufel, er habe ihn gewiss, meinet, er solle ewig in solchem Tode bleiben. Was geschieht aber? Christus erstehet unversehens vom Tode.“ — p. 2044 „das Regenwürmlein ist nun Christus, der scharfe Angel ist seine Gottheit; an den Angel ist das Regenwürmlein gebunden, nemlich die Menschheit Christi und das Fleisch, das betruget den Teufel.“ — p. 2046 „der Teufel sahe nicht die ewige Herrschaft Christi: so lauft er nun dran und will den überwinden, der nicht zu überwinden ist.“



tum diabolus postea per ambages finem suum petivisse. Quod autem primum ipse prodiit, non solum ideo fecit, ut quem omnino nisi cognitus pellicere non posset, quam maximo devinceret impetu, sed potius propterea quod, quum Deus ipse appareret in terris, etiam diabolus necessitate quadam impulsus quam potuit Dei similimus apparuit, ut Deum apparentem oppugnaret, vel potius hominibus plane manifestatus tenebrarum princeps in omnium conspectu a Dei Filio vinceretur <sup>1)</sup>).

Unum etiam superest nobis explicandum, quod aequè ad diabolum atque ad Jesum referendum est. Quomodo, inquit, Jesus ab ipso diabolo tentari potuit, quum intelligeret, ab inimico praeter detestabilia ac prorsus rejicienda nihil proferri posse? Num irritari Jesu concupiscentia, num sollicitari ejus animus potuere diaboli verbis, quae ne hominem quidem pium corrumpere potuissent? Quod argumentum nullo pondere esse non diceremus, nisi nimii ponderis videretur esse. Nam si hoc pro vero rectoque habemus, non solum hanc Jesu per diabolum tentationem, immo vero omnes Jesu tentationes omnino non fuisse veras tentationes contendere cogimur, quum quavis tentatione Jesus inter bonum atque malum, vel inter voluntatem Dei et voluntatem diaboli, delectum adhibere coactus sit. Quomodo autem diabolus Jesu animum sollicitaverit, ex ipsa tentationis historia elucebit, qua etiam docebimur, Jesu per diabolum tentationes non fuisse gravissimas, immo vero Deo tentante longe majorem in ejus animo luctationem esse exortam.

1) Cfr. Hofmanni „Schriftbew.“ I, pag. 390.

### PARS III.

#### De tentatione Jesu Christi in solitudine <sup>1)</sup>).

Unusquisque trium evangelistarum tentationem Jesu baptismati adjungit. Nostrum igitur est, rationem, quae inter hanc rem et illam intercedat, brevibus explicare. — Jesus in baptisate, cui sese servus Dei „omnem justitiam impleturus“ subdidit, a Patre Spiritu Sancto unctus est, ut fieret Messias vel Christus. Munere gravissimo Redemptoris, Prophetæ et Sacerdotis, tunc demum ornatus est. Quo, vere homo factus, fungi non potuit nisi a Deo jussus nec nisi divinitus praeditus Spiritu Sancto. Jesu, qui, quum ipse Deus esset, Spiritu S. impletus erat, hoc non nisi divinitus dato et obedientiâ merito uti licuit, quamdiu in terris homo degebat. Postquam vero Spiritum acceperat, etiam a Deo declaratus est coram Baptista et coram mundo Filius Dei dilectus. Vita Jesu privata finita erat, jam publica Christi vita incepit.

Protenus post baptisma Jesus a Spiritu S. in solitudinem, ut tentaretur a diabolo, ductus est. Non ipse Jesus ex libero suo arbitrio se contulit in solitudinem, sed ducitur, jubetur ire a Spiritu Sancto vel a Deo per Spiritum Sanctum. Secundum Marci verba (I, 12) „ἐκβάλλει αὐτὸν εἰς τὴν ἔρημον“ Jesus vel nolens videtur impulsus vi aliena. Quod vero non ita esse intelligendum ex Matthæi voce „ἀνήχθη“ apparet, qua docemur, non vi, ut ita dicam, magica raptum, sed ita jussum esse ut obediendi necessitatem sentiret. Qua de obedientia non minus quam de Dei jussu Lucas certis verbis mentionem facit dicens „ἐπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου καὶ ἦγετο ἐν τῷ

1) Nostra non interest interpretari singulas cujusque trium evangeliorum voces, vel grammatices via verborum contextum explicare, sed, commentariis hanc rem tractantibus, praesertim vero excellentissimo illi A. W. Meyeri, in-nisi, ipsam rem, ipsam tentationem, trium evangelistarum relationes simul sequentes, enarrabimus explicabimusque.

πνεύματι“. Elucet Spiritum S. divinitus acceptum dominatum esse in animam Jesu ita, ut ejus amplius non esset, ex suo arbitrio agere sed Deo impellenti obedire. Qua re jam initio vitae publicae, quae sit ejus indoles, manifestatur; nostra vero de humilitatis statu prolata sententia firmatur. — Quaenam fuerit haec solitudo distinctius non explicatur. Hoc solum e verborum contextu erui posse videtur, fuisse eam, cujus jam antea mentio sit facta (Matth. III, 1 cfr. c. V, v. 6. 13), videlicet solitudinem Judaeae, ita ut Jesus baptizatus e Jordane ascenderet in partem solitudinis altiore. Solitudinem Quarantianam appellatam fuisse tradunt veteres <sup>1)</sup>).

Jesus in solitudinem ductus est a Spiritu S. ut tentaretur a diabolo. (Matth. IV, 1.) Deus, postquam Jesum, donato Spiritu S., munere fungendi potestate ornavit, etiam quem exploraret, num opus salvatoris ἐν μορῆ δούλου gravissimum expleturus esset, in eo posuit, ut tentari posset a diabolo, atque tentatus sese probaret ad obediendum et patiendum more vere humano paratum. Praescivit Deus Filium suum sese probaturum esse obedientem, attamen eum, qui humanam naturam et praesertim libertatem humanam assumpsisset, probatum non judicare potuit nisi tentationibus iterum atque iterum exploratum. Neque quemquam nisi Filium Dei, qui probatus esset justus homo, decuit subire passionem et mortem vicariam satisficientem Dei irae. Itaque Jesus initio vitae publicae, passione jam incipiente, muneris sui molestiae conscius factus atque denuo secum considerare coactus est, utrum in humilitate, an in majestate Messiae munere fungi vellet.

Si quaeris ex relatione evangelica, quomodo Deus hoc fecerit, duplici modo eum hoc fecisse e textus verbis intelligas. Primum quidem Jesum in solitudinem duxit, ita ut ei non liceret, ubi vellet, solitudinem relinquere. Tum vero eum in solitudine desertissima, omnibus rebus ad vescendum aptis carente, versantem, per quadraginta dies mirabili modo a famis cruciatibus servatum, denique fami acerbissimae permisit, evadendi e solitudine cibosque parandi

1) Nescio quo jure Brueckner „Die Versuchungsgeschichte unseres Herrn Jesu Christi“ 1857, pag. 15 contendat, eandem fuisse solitudinem, ubi populus Judaeorum per quadraginta annos esset tentatus.

venia nihilominus non data. Ita rem esse intelligendam pro certo habemus. Errant enim et illi, qui Jesum propter divinam suam naturam per quadraginta dies cibis carere potuisse contendunt, et illi, qui eum non justum tenuisse jejunium nec nihil comedisse, immo vero alimentis usitatis non fruitum esse contendunt <sup>1)</sup>. Quales enim erant divinae naturae acies et vis, quae nisi per quadraginta dies ad famem tollendam non sufficerent? Num dixissent evangelistae, Jesum jejunum non solum per quadraginta dies, sed etiam per quadraginta noctes fuisse, nisi indicaturi jejunium sincerum atque verum, simile jejunio Moysis et Eliae (Deut. IX, 9; Exod. XXXIV, 28; 1 Reg. XIX, 8) fuisse? Lucas praesertim, ut rem explicaret, καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδέν addidit. Quae cum ita se habeant, Jesum, nil comedentem, non vi humana famem vitasse dicimus, quum non fieri posset, ut homo per quadraginta dies nil comedens ne esuriret quidem. Itaque nec vi humana nec potestate divinae naturae sed ope divina adjutus nil comedens fame non est affectus. Jesum enim in ipso jejunio non esurientem haec monstrant verba: ὕστερον ἐπεινασεν (Matth. IV, 2) et „συντελεσθεισῶν αὐτῶν ἐπεινασεν“ (Luc. IV, 2). Quum itaque fames exorta est, ope divina denegata, Jesus ex Dei voluntate eam exortam esse certe cognovit.

Cujus famis cruciatus neque alios neque minores fuisse, quam qui semper e fame maximi oriantur, vix sit, qui neget. Etiam aucti videntur nobis eo, quod Salvatori esurienti, cupidine edendi vehementissima excitata, non licuit cibum quaerere, quum a Deo jussus in solitudine manere et rerum inopiam, nesciens quamdiu Deo placeret, sustinere deberet. Nisi luctans cum cibi appetitione, opprimens rerum humanae naturae necessariorum desiderium, sustinens cruciatus acerbissimos, in obedientia perseverare et delectari voluntate divina non potuit.

Qui esurientis status a Deo postulatus ex Dei etiam voluntate occasionem quam optimam praebuit diabolo, ut Jesum a Deo jam tentatum etiam sollicitata illa, contra quam pugnabat, concupiscentia tentaret, ut quaereret malum velut amoenum, bonum, rectum.

1) Cfr. sententias a Schweizero l. l. p. 67, a Graulio l. l. p. 44 et a Langio l. l. pag. 41 de hac re prolatas.

*Προσελθὼν ὁ πειράζων εἶπεν αὐτῷ κ. τ. λ. (Matth. IV, 3). Τὸν πειράζοντα* hoc loco diabolus esse, jam inde perspicuum est, quod supra v. 1, scriptum erat: *ἀνήχθη... πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου*. Ejus, qui erat ὁ πειράζων (1 Thess. III, 15) etiam erat, neminem, ne Filium Dei quidem, non tentare. Quanam specie vel forma hic apparuerit diabolus, non dicitur, attamen, quum locutus sit cum Jesu, quem secum duxit et procumbere ad suos pedes jussit, a quo denique abire jubetur, diabolus apparuisse aequè constat, ac hominis forma vel habitu indutus apparuisse videtur. Quod verisimilius redditur eo, quod cum Filio Dei, hominis animo et corpore praedito, diabolus, eadem forma assumpta, agere voluisse consentaneum est. Cujus rei Scriptura sacra mentionem ideo non fecit, quia, utrum hac vel illa forma usus esset, non magni erat momenti, quum semper Jesus quis esset cognovisset.

Tentaturus itaque „εἰ, inquit, υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἔρτοι γέγωνται“ (Matth. IV, 3). Iisdem fere verbis Lucas rem refert. Quae verba jam Ignatius (ad Philipp. IX) ita interpretatus est, ut diceret „ἐπειράζειν ὡς κοινὸν ἄνθρωπον, ἀγνοῶν ὅστις εἴη... τὸ γὰρ εἰ υἱὸς εἶ ἀγνοίας ἐστίν“. Cui sententiae ex parte assentit etiam Origenes, dicens, dubie sic interrogasse diabolus. Quam tamen totam probare non possumus, quia diabolus non singulari modo Jesum tentaturus prodixisset, nisi, quis esset, cognovisset. Diabolus ita locutum solum tentandi causa, si contendimus, non negamus Jesu personam et ipsi aliqua ex parte obscuram fuisse, neque plane eum, quomodo Deus Filius homo factus ἀσθενεῖαις affectus in terris vitam molestam ex more hominum degere posset, perspexisse. Mysterium divini amoris enim intelligere non potuit, qui omni amore plane carebat. Non dubitavit, quin Jesus esset Filius Dei, sed dubitavit de vi τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου. Quod dubitabat, hominem Jesum tentare conatus est, illa vero res, de qua dubitabat, aptissima etiam ei videbatur, quò Jesum tentaret. Quum ipsi natura divina et natura humana, ἀσθενεῖαις affecta, prorsus contrariae et plane sibi oppositae viderentur, etiam Jesum cogi posse putavit, ut sese vel hominem vel Deum exhiberet, vel potius, ut humanam naturam et ejus ἀσθενεῖαις divina sua omnipotentia tolleret. Quod inceptum processurum esse persuasum sibi habuit, quum cogno-

sceret in Jesu animo desiderium et cupidinem gloriae, quae nisi luctans non opprimeret, adesse. Qua luctatione videbatur indicari, ipsum Jesum jamjam intelligere atque sentire, parum convenire statum illum miserrimum cum natura hominis, qui esset Filius Dei. Itaque diabolus speravit, fore, ut Jesum et miseriae et potestatis conscium factum, deliciisque gloriae ante oculos positus, seduceret et ad gloriae statum sibi parandum permoveret. Cujus consilii exsequendi facultatem sibi datam putavit, quum Jesus procedens in vitam publicam in eo esset, ut careret quibus homini non ad felicitatem sed ad vitam servandam opus esset, neque nisi neglecto Dei praecepto, cibos solitudine relicta sumere posset.

Non multum differunt prima diaboli verba ab illis, quibus Evam allocutus est. Haec enim „εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ“ simillima sunt illius quaestionis „num Deus praecepit?“ Proposita conditione ubi loquitur, Jesum conscium facere vult, tantum differre statum famis miserrimum a Filii Dei dignitate, ut, quisnam Jesus sit in dubio linquatur. Non solum molestam esse famem, sed omnino non convenire cum natura ejus, qui sit Deus Filius rebus nullis egens<sup>1)</sup>, neque cum Dei Filio, cui sancto justoque Pater, quibus ad vitam servandam egeat, semper praebeat, necesse sit, neque etiam cum humana Jesu natura, quum cuique homini ex ordine divinitus instituto liceat cibum quaerere et sumere. Itaque statuendum esse, aut Deum rem tam insanam non instituisse, aut Jesum non esse Filium Dei. Quum vero Jesus sese Filium Dei exhiberet, famem non esse a Deo jussam, expellendam igitur cibo ita parato, uti Filii Dei, in solitudine omnium frugum vacua versantis, potentiam divinam deceret. Quibus verbis captiosis illa „εἰπὲ ἵνα κ. τ. λ.“ addit, ut indicet, solummodo jussu opus esse, ut non solum famis cruciatus mitigentur sed etiam Jesus eorum sua conscientia et coram diabolo probetur is, qui Salvatoris munere fungi possit, videlicet Filius Dei. — Quibus diaboli verbis Jesum eo magis sollicitatum esse contendimus, quo majore fame cruciabatur et quo majore edendi cupidine movebatur. Praesertim

1) Satanam cognovisse Jesu naturam (υἱὸς Θεοῦ) nos cum de Wettio tenemus, quum tantum hac scientia permotus Jesum hortari posset, ut lapides permutaret in panem.

quum eum non fugeret, difficile esse cognitu, cur Deus Filium posuisset in statu miseriore etiam quam cujusque hominis peccatoris, cur eum privasset rebus aequae necessariis ac vilibus, cur denique hoc illi immisisset in solitudine, ubi nemo adesset, qui fructum ex eo hauriret, quod Messiae accideret. Solius satanae praesentia etiam magis ad facinus propulsus est, quo sese Filium Dei manifestaret atque fugaret eum, cujus devincendi causa homo factus esset. — E quibus rebus intelligi potest, diabolum ita ut omnes tentat homines Jesum tentasse, cujus concupiscentiam sollicitaret cogendo cogitare de voluntate Dei, res necessarias denegantis et cruciatus maximos immittentis, ut de re non solum molestissima, sed etiam pugnante cum Dei numine, cum natura humana, praesertim cum Dei Filii dignitate; at de rebus vetitis et denegatis ut de rebus amoenis, licitis, decentibus, utilibus, divinis. Quae tentatio, quamquam diaboli esse manifesta erat, Jesu obedientiam difficiliorem, luctationem acriorem redderet, necesse fuit. Omnia enim sua desideria, omnes suas cogitationes obedientiae, quamvis sensibus et menti molestissimae, plane subigere atque iterum inopiam cruciantem, humilitatem etiam coram diabolo contumeliosam, suscipere et tolerare debuit.

Qui animi motus per tentationem exorti dilucide ex illis Jesu verbis apparent, quibus diabolum tentantem repellit: „Γέγραπται· οὐκ ἐπ’ ἄρτω μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ’ ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ“. Primum nobis his ex verbis obvium fit, Jesum, ut redargueret tentatorem, non ad mysterium ἐνσαρκώσεως, ad necessitatem humilitatis, neque ad vocem de coelo editam „οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός“ provocasse, sed captiosis Satanae verbis et cogitationibus in suo animo per diabolum progenitis Scripturam sacram opposuisse „gladium spiritus“ hominibus omnibus praebitum. Ipse Dominus Satanae cum eo pugnare non vult, nisi more humano adhibens adminicula hominibus data. Verbo divino, hominibus dato ad diabolum repellendum ipsorumque obedientiam firmandam, utitur, qui ipse erat Verbum Dei. Quem laudat locus legitur in Deut. c. VIII, v. 3 ubi Moyses populum monuit de cibo miraculoso Manna, quem Deus dedisset „ut ostenderet hominem non vivere in solo pane sed in omni verbo, quod egreditur

de ore Dei“. Quae Jesus respondet hanc fere habent vim: an Filius Dei sim nec ne in medio relinquo; quid illum deceat, vel quid facere possit nunc mea non interest. Homo factus sum, hominem quaque ratione et in quaque conditione et patientem et obedientem me praebere volo. Hominem vero non decet sibi parare cibum portentis miraculisque, immo vero ejus etiam fame cruciati est, spem ponere in Deo, qui promiserit sese sustentaturum neque deserturum hominem credentem. Quod vero attinet ad ipsam famem, Deus jam ostendit, se suos servare posse modo etiam extraordinario. Homo itaque non vivit per panem, sed per Dei verbum omnipotens, neque ego alio victurus sum modo.

Itaque sese hominem plane obedientem, quamcunque divinam potestatem, quamlibet felicitatem, non a Deo paratas, recusantem exhibens probatur Messias vel mundi Salvator, Deus revera homo factus. Diabolus dixerat „εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ εἰπέ ἕνα κ. τ. λ.“, Jesus „quia sum, inquit, Filius Dei me totum, hominem, trado Patris voluntati quamvis mihi occultae et molestae. Pater me salvabit“. Sese justum probavit superans cibi desiderium, sustinens famis dolores, Patri obediens in calamitate humana; neque vero ut sese probaret justum, sed quia nisi justus probatus mortem vicariam subire et pro nobis poenas dare non potuit, tentatus est ex Dei voluntate.

Quamquam probatus nullam expertus est opem a Patre, non liberatur insidiis verbisque procacibus Satanae, nullam mercedem obedientiae obtinuit. Immo vero omnis etiam traditur diaboli arbitrio, quem jubentem sequi cogitur nutu divino; frustra Dei permissum expectat, quo liceat inimicum fugare <sup>1)</sup>. Diabolus, nondum desperans de eventu, aliam etiam viam adhibiturus, Jesum, hominem se gerentem, seduci posse contendit. Jesum, ipsis ejus verbis innisus, Deo obedientem et credentem, ut gloriam Messiae appeteret, permovere studet.

Παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος — assumit eum, sibi comitem adjungit eum, cui resistere non liceat. Ducit eum in urbem san-

1) Si nonnulli interpretum, inter quos de Wette, non decere Filium Dei diaboli potestati traditum esse, contendunt, animadvertenda esse videntur, quae jam Gregorius M. de hac re protulerit dicens „Nil mirum est, si Christus a diabolo se permisit circumduci, qui a membris illius se permisit crucifigi“.

ctam, in ipsa Hierosolyma (Jes. XLVIII, 2; LII, 1; Dan. IX, 24; Matth. XXVII, 53), quae hic solemniter illo nomine appellatur, ut quid intersit inter desertum et locum quo ductus sit, inter locum quo ducatur et illum qui ducat, significetur. — Καὶ Ἰσθησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερόγιον τοῦ ἱεροῦ. Haec verba ita fere sonant, ut Jesus vi quadam magica a diabolo ductus videatur. Ἰσθησιν autem idem est ac „imperat ut consistat“. (Act. XVIII, 2; XV, 33.) — Vox πτερόγιον quamlibet extremitatem designat, hic vero intelligenda prominentia quaedam templi. Ipsius autem templi pinnae non fuisse A. W. Meyer ex ea causa conjecit, quia templum ipsum voce „ναός“, voce τοῦ ἱεροῦ autem totum aedificium significari mos fuerit. Pinnae itaque στοῶς βασιλικῆς fuisse opinatur. Eandem fere sententiam jam antea Spanheimius<sup>1)</sup> defendit, qui docuit „si conjecturae locus est, videtur omnino πτερόγιον templi fuisse ἄκρον illud, de quo loquitur Josephus lib. XV Antiq. cap. XIV, ubi inquit in templo Hierosolymitano a parte australi fuisse porticum quandam praecelsam, unde prospectus patebat in vallem adeo profundam, ut sine vertigine nemo in eam despiciere posset. Forte ob peculiarem prominentiam et singularem profunditatem subjectam, vocabatur locus ille antonomastice τὸ πτερόγιον τοῦ ἱεροῦ“. In loco prae aliis periculoso diabolus ita allocutus est Jesum: „εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ βάλε σεαυτὸν κάτω· γέγραπται γὰρ· ὅτι κ. τ. λ.“ (Matth. IV, 6; Luc. IV, 10. 11). Verbis Psalm. XCI, 11. 12 diabolus hic utitur. Plurimi interpretum hanc esse diaboli fallaciam contendunt, quod Scripturae sacrae verba non ita laudet ut scripta sint, ommittat vero illud „in omnibus tuis viis“<sup>2)</sup>. Bengel autem jam recte animadvertit: „fraus satanae potius est in falsa applicatione, quam in omissione“. Etenim, si illa fuisset fraus diaboli, Jesus certe respondens verba Scripturae

1) Cfr. Balduini Walaeci commentarium libb. N. T. historicorum perpetuum, Tom. I, pag. 30.

2) Quam opinionem defendunt inter novissimos et P. Ewald „die Versuchung Christi“, 1838, pag. 49, et Graul „Rudolb. Zeitschr.“ 1844, fasc. III, pag. 47; inter veteres vero instar omnium Bernhardus (Serm. XIV in Ps. XCI) laudatur, qui dicit: „Qualis via haec de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via haec, sed ruina, et si via, tua est, non illius cet.“ Cfr. Bald. Walaeci Comment. pag. 30.

a diabolo laudata complevisset ut falsam applicationem repelleret. Quae Psalmi verba ita intelligenda nobis videntur ut cujusque hominis habeant rationem. Nam quae profert Usteri, ea semper et ab omnibus, non solum a diabolo, in Messiam esse relata, argumentis firmari non possunt. Solum vero si ita ea interpretamur, ut promissionem omnibus hominibus datam contineant, apta sunt ad Jesum jam prima tentatione probatum tendendum.

Verba, quibus iterum diabolus tentationem incipit quae eadem sunt ac in prima tentatione, ex altera parte eandem, ex altera aliam habent vim. Quum enim et nunc dicat „si es Filius Dei“ sc. quem te exhibes, iterum simulat, se de Jesu dignitate divina dubitare; attamen iisdem verbis vel hoc inest: non esse Filium Dei, qui pro obedientia illa immoderata mercedem nullam a Patre accipiat, immo vero prorsus etiam in diaboli, quem fugare non possit sequi autem debeat, potestatem tradatur. Revera hominem debilem sese praebere Jesum, neque vero Dei Filium. Quae verba diaboli iterum exorta sunt ex mente, quae non solum simulate dubitavit. Prorsus ineptum ei, superbia tumentis, videbatur, quod Jesus sese Filium Dei per patientiam miseriam humanam probaturus esset. Valde miratus est, quod mundi Salvator, ipse Deus Filius, in suam potestatem esset traditus ita ut eum, Dominum coelarum et terrarum, jubere posset ire quo ipse vellet. Deerat diabolo hujus mysterii cognitio. Quamvis repulsus etiam majore successus spe impletus tentationem secundam, prioris eventui captiose accommodatam suscepit. — Si dignitatem tuam divinam, inquit, obedientiam et fiduciam humanam, Dei verbo innisus, probaturus es, si potestatem tuam divinam, ut appetitionibus satisfacias, non adhibiturus es, si denique putas, te hac ratione facere, quod Deo Patri placeat, equidem te amplius non sollicitabo, des mihi autem, quaeso, signum, quo intelligam, Patrem tibi sese ita humilianti favere, et velle, te ita hominis miserrimi personam sustinere. Fac ut confirmet te Pater, vel potius, quum, nisi a Patre jussus, nihil facere audeas, tradas te ita Patris potestati ut ex eo, quo tecum acturus sit, modo, ejus tui amor manifestetur. Sin vero nimio obediendi desiderio ita es impletus, ut ne tradere quidem te velis Patri, nisi permissum sit, tibi etiam Scripturae sacrae, quam supra laudasti, locum afferam, ubi ipse Deus tibi ex-

hibet modum, ex quo te Deo ita tradere et confidere possis, ut appareat, num revera humilitatem tuam comprobet. Scriptum est in Psalmo: „angelis suis mandavit de te cet.“ Itaque mittas te deorsum de his templi pinnis, et si servatus eris, ego quoque neglecta tua humilitate credam, te Filium esse Dei dilectum.

Si verba diaboli ita interpretamur, haec tentatio quaque ratione optime instituta apparet. Non solum quia hanc quam optime cum priore connexuisse videtur diabolus, sed etiam quia gradatim processit ab una ad alteram. Tanto etiam subtilior secunda est, quanto majore opus erat subtilitate ut Jesum, e priore victorem egressum, iterum sollicitaret. Denique etiam ex ea parte aggreditur Jesum, ubi concupiscentiam per prioris tentationis eventum jam sollicitatam cognovit. Quid enim majore cupidine tunc optavit, quam ut Deus Pater sese amantem et servantem Filium suum manifestaret? Jam recusaverat Jesus cibos vetitos, jam probaverat fidem, fiduciam, obedientiam, exspectavit igitur mercedem, neque vero mercedem ciborum, beatitudinis vel gloriae, sed, in eadem humilitate perseveraturus, amoris paterni signum, quo probaretur coram sua conscientia et coram Satana etiam in humilitate vel propter humilitatem Filius Dei dilectus. Desiderium revera justum rectumque, auctum etiam eo, quod quamvis obediens denuo diaboli potestati traditus erat.

Deus, quum Filio recusaret et auxilium et signum amoris, eum tentavit certe modo difficillimo. In prima tentatione Filio corporis alimenta, in secunda autem panem spiritualem, gratiam et amorem, denegavit, ita ut animus fame spirituali cruciaretur. Quare Deus diabolo optimam praebuit occasionem, Jesum, ut Patris auxilium et amoris signum sibi pararet, pelliciendi. Neque amplius ut miraculum faceret, postulavit diabolus, solummodo promissionibus a Deo hominibus datis confidens ageret, quo non ipsius divina potestas (ut in prima tentatione) sed tantum Dei amor et favor appareret. Vel si quid facere non auderet, tali modo sese crederet Deo, ut fieri non posset, quin Deus mentem suam occultam manifestaret.

Quomodo Jesu animus his diaboli verbis fallacibus sollicitatus sit, ex iis intelligas, quae respondet. „Rursum, inquit, scriptum est: non tentabis Dominum Deum tuum.“ Iterum non aliam vivendi et agendi regulam nisi solam Scripturam sacram sese secuturum

profitetur. Omnem suam dubitationem, omnia desideria luctatione acerrima opprimens refugit ad Verbum Dei. Non esse quaerendum, quid sit Filio Dei vel homine justo dignum vel quid necessarium. Non esse interrogandum, cur Deus tantas calamitates immiserit Filio dilecto, neque eum quamvis obedientem eriperit; vel qua de causa recuset gratiae signum et amoris pignus. Si Deus ita agere velit, nemini, neque Filio, qui homo factus sit, licere, postulare ab eo, ut aliter agat. Nam qui Deum, etiam sub specie recti vel Scriptura sacra simulate innisus, cogere velit, ut, quod se facturum non manifestaverit, faciat, eum peccatum committere, quum praeceptum illud „non tentabis Dominum Deum tuum (Deut. VI, 16)“ contemnat. Itaque et in acerbissimis calamitatibus non esse perpendendum, utrum Deus oblitus sit hominis, annon, utrum juste agat, an faciat quod cum ipsius numine et promissionibus pugnare videatur, sed plane et omnino verbum Dei tenendum, praeceptis obediendum, promissionibus credendum esse, coercitis dubitatione et desideriis omnibus.

Verbum igitur illud Scripturae, quod diabolus laudaverat Jesu conscientiam perturbaturus, Jesus non esse adhibendum censuit. Quamvis divinum, hic esse negligendum. „Scripturam enim per scripturam esse interpretandam et conciliandam“ (Bengel). Hoc verbum ad eos esse referendum, qui a Deo jussi in viis periculosis ire, vel suscipere debeant, quae prorsus letifera videantur<sup>1)</sup>. — Apparet igitur et in hac tentatione Jesus acriter luctans. Diabolo enim solum sincerum Dei verbum opposuit, quia ipse illa et corporis et animi fame cruciatus patris voluntatem molestissimam esse sensit, neque plane perspexit, cur Pater auxilium exoptatissimum recusaret, aut quamdiu corporis et animi illi cruciatus duraturi essent. Itaque non simulavit coram diabolo sese soli verbo Dei confidentem, omnia alia consolatione carentem, immo vero et ipse revera non aliam tunc habuit animi consolationem et vitae regulam quam Dei Verbum, neque potuit Patri plane et omnino credere nisi oppressis antea omnibus suis cogitationibus et desideriis. Quod quidem quum faceret,

1) Calvinus „neque enim Dei promissionibus aliter possumus inniti, quam si ejus mandatis obsequimur“. Comm, in Matth. pag. 112.

sese non minus quam ratione, qua fecit, vere hominem justum probavit, paratum igitur ad omnia vel difficillima, quae in vita terrestri Pater esset missurus, suscipienda, praesertim vero mortem vicariam subire. Sese in omnibus corporis et animi cruciatibus nihil facturum ex sua potestate divina neque quidquam suscepturum ope divina, nisi a Deo jussum hic professus est.

Ita tentationem secundam explicantes prorsus refutamus eorum opinionem, qui dicunt, diabolum hortatum esse Jesum, ut sese praecipitans de templi pinnis, mirabili modo servatus, populo Judaeorum persuaderet, sese esse Messiam et Filium Dei. Quae interpretatio, quamquam adhuc a multis interpretibus defenditur, inter quos P. Ewald l. l., Krabbe <sup>1)</sup>, Stier <sup>2)</sup>, Graul l. l. et A. W. Meyer l. l. prorsus pugnat cum textus verbis, quum ne singula quidem voce populi praesentis mentio sit facta. Etsi Schweizer l. l. contendat, nullum adesse sensum, nisi ita narratio explicetur, nostram tenemus sententiam. Quam optime cum textus verbis non solum, sed etiam cum tentationis historia consonare supra et ipsi ostendimus, et alii interpretes, inter quos Kohlschuetter <sup>3)</sup> et Ullmann <sup>4)</sup> jam monstravere. — Nemo igitur adfuit in tentatione secunda nisi Jesus atque diabolum.

Hoc etiam nobis videtur animadvertendum, minime nostram esse opinionem, quam protulit Olshausen l. l., Jesum tentari potuisse in solitudine, quia a Dei Spiritu relictus et infirmitati suae humanae traditus esset. Quod cum omnibus recentioribus interpretibus rejicimus, quum plane repugnet illis Lucae verbis: „*Ἰησοῦς πλήρης πνεύματος... ἦγετο ἐν τῷ πνεύματι*“. Nihilominus autem contendimus, fieri potuisse ut etiam Jesus Spiritu Sancto impletus ita uti supra rem explicavimus cruciaretur fame et corporis et animi. Etenim Spiritus S., quem acceperat in baptisate, ipse eum duxit in solitudinem, ut tentaretur et cruciaretur fame illa.

1) Cfr. Krabbii „Vorlesungen u. s. w.“ pag. 173.

2) Cfr. Stierii „Reden des Herrn Jesu“ I, pag. 24.

3) Cfr. „Biblische Studien u. s. w. Herausgg. von Käuffer, Jahrg. 2.“ 1843, pag. 75.

4) l. l. pag. 277. Cfr. etiam Neandri „Leben Jesu“ pag. 116 et Calvinii Comm. in N. T. I, pag. 112.

Quamquam sese probaverat Jesus paratum ad perficiendum Patris opus (Jo. IV, 34), Pater eum satis probatum vel exploratum nondum habuit. Etiam enim eum permisit diabolo, qui eum duceret quo vellet. Duxit autem Jesum in montem valde excelsum (Matth. IV, 8). Qui mons ubi fuerit, quum evangelistae non dicant, etiam nos dicere non possumus. Neque opus est disquisitione, quum, quae in monte facta sint, non ex montis natura pendeant. Si enim diabolum secundum textus verba Jesu „ostendit omnia regna mundi et gloriam eorum“ (Matth. IV, 8), hoc fieri non potuit propter montis illius altitudinem singularem, sed in quovis alio monte, quum verba aut indicent, diabolum per vim quandam extraordinariam res illas ante Jesu oculos posuisse, aut, si hyperbolen adesse statuimus, solum significant, diabolum Jesu „amplissimum terrarum tractum“, qui ex monte valde excelso perspici posset, instar omnium mundi regnorum ostendisse. Quamquam haec sententia etiam a Bengelio defenditur his verbis, „monstrat ad oculos ea, quae horizon complecteretur, cetera per enumerationem et indigationem fortasse“, nobis Lucae praesertim verba ita sonant, ut mirabili modo hoc factum esse videatur. Quod enim narrat „*ἔδειξεν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης ἐν στιγμῇ χρόνου*“ vix aliter interpretari possumus.

Etiam si hoc vel illo modo rem intelligimus <sup>1)</sup>, attamen parum interest, ubinam fuerit mons, quum vis et pondus tertiae tentationis eadem maneant. — *Ταῦτά σοι πάντα δώσω*, inquit, *ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι*. Quae diaboli verba procacia nullam habuisse tendandi vim, quum plurimi contendant, certe, quo modo Jesu animus his verbis sollicitari et quomodo diabolum sperare potuerit, fore, ut Filium Dei jam duabus tentationibus probatum tali modo pelliciat, interrogandum est. Iis astipulari non licet, qui dicunt, omnino non tentatum fuisse Jesum his verbis procacibus, immo vero diabolum, Jesu perseverantiâ coactum, sese de Jesu dignitate dubitantem amplius non simulasse, sed certis verbis promulgasse, quo tenderet, ad subigendum scilicet Jesum suae potestati, ita quidem ut malitia

1) Cfr. A. W. Meyeri Comm. in Matth. pag. 105, ubi, et quod ipse et quae alii protulerint de hac re, enarrantur.

et Dei inimicitia plane manifestarentur. Cui sententiae id veritatis inesse concedimus, necessitate quadam evenire, ut, si assidue resistat homo diaboli tentationibus, luctatio homini facilior diabolo vero difficilior fiat, quum resistens firmetur homo, diabolus contra homine resistente cogatur, omnibus mendaciis frustra adhibitis, malitiam suam et Dei inimicitiam procaciter manifestare. Nihilominus autem tertiae etiam tentationi infuisse tendandi vim contendimus.

Amplius non dubitat diabolus de dignitate Jesu divina, neque enim incipit rursus „*εὶ οὐδὲ εἰ κ. τ. λ.*“, neque amplius sperat, fore ut in Jesu animo sollicitet aut dubitationem de Dei voluntate aut concupiscentiam humilitatis tollendae. Compertum habuit, Jesum quamvis miserum et a Deo relictum, esse eum, qui Deo obediens Patris opus ad finem perducturus esset ita ut mundum redimeret, atque restitueret regnum suum gloriae. — Quamquam itaque diabolus sese non posse impedire cognovit, quominus redimeretur mundus, ipse autem a Jesu vinceretur, non desivit tentare Jesum, sed, mente odio Dei obscurata, hic in solitudine ut in tota Jesu vita terrestri iterum atque iterum eum, quem everteret, aggressus est. Quae temeritas vel etiam stultitia cum astutia quam fieri potuit maxima potuit esse conjuncta. Quarum utramque adesse etiam in tertia tentatione facile intelligas. Quid enim stultius quam postulare, ut Jesus procumberet ad pedes diaboli, quid autem astutius, quam promissio illa sese Jesu daturum omnia mundi regna? Quae diaboli verba quomodo intelligamus, explicandum est.

Cognovit diabolus, Jesum et perseveraturum esse in obedientia et e passione, luctatione, morte victorem discessurum et denique conditurum regnum gloriae. Neque vero eum fugit, Jesum in humilitate molestissima apparuisse et in obedientia difficillima perseverare, ut exsequeretur decretum Dei, neve gloria sibi parata mundi salutem et Patris voluntatem irritas redderet. Diabolo, utramque rem quum cognosceret, una sola via tentandi etiam adesse videbatur. Ipse sese paratum simulavit ad mundum Patri et Filio concedendum. Tot, inquit, doloribus, tot calamitatibus, passione acerbissima et morte amplius opus non est. Etenim, quum tu ea sustentare velis, ut redimas mundum mihi obnoxium (Jo. XII, 31; Eph. VI, 12), ego tibi quae mea sunt, et quae mihi tanta opera gravissima navata

eripere vis, ipse traditurus sum. Conditionem unam tantum fero, quae minime repugnat tuae obedientiae aut tuae humilitati humanae, procumbas scilicet ad pedes meos, ut gratias agas mihi, te passione et cruciatibus molestissimis et labore difficillimo liberanti, meam potestatem et meum jus tibi, qui mundi salutem aequae ac Dei gloriam quaras, permittenti. Quae demissio minime pugnat cum tua obedientia, quum nihil postulem, quod Dei numini repugnet. Servias illi obediens, persequaris ejus voluntatem, redimas mundum, mihi vero etiam pro pietate et pro magnanimitate, ipsi Deo grata, gratias maxima cum reverentia agas. — Quae diaboli verba certe sollicitare Jesu animum potuere. Patebat enim via redimendi mundum, Dei decretum perficiendi, passione et morte evitatis. Quid amplius illis opus erat? <sup>1)</sup> — Attamen Jesus in obedientia perseveravit, quia obedire voluit Patris verbo, qui prorsus interdixerat, ne adoraret homo alium quemquam nisi Deum, ne serviret cuiquam nisi Deo soli. Utrum per hujus interdicti obedientiam homini accideret, quod molestissimum esset, vel quod prorsus inutile videretur, non esse perpendendum, Jesus contendit, quum responderet: „scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies“ (Exod. XX, 3. 5; Deut. VI, 13). Itaque et in hac tentatione sese probavit paratum ad perficiendum Dei decretum illa sola via, quam Deus destinasset, etsi hujus viae spinosae necessitas interdum occulta esset. Jesum jam hic in solitudine fallaciam diaboli non plane perspexisse neque cognovisse via a diabolo proposita mundum omnino redimi non posse, non contendam. Crucifixus vero in eo erat, ut necessitatem mortis non plane perspiceret, nihilominus autem eam obediens subiret.

Verum non solum Satanam tentantem, suasque cogitationes et desideria verbo Dei superavit, sed etiam, quum conditionem illam procaciter latam animadverteret, sibi licere cognovit, Satanam, plane manifestantem procacem superbiam, prorsus fugare, non propter suae dignitatis offensionem sed potius propter violatam

1) Cfr. commentationem memoratu dignissimam Koennemanni „Rud. delb. Zeitschr.“ 1850. Fasc. IV, pag. 586 et 601. unde hanc tertiae tentationis explicationem me hausisse ingenue et grato cum animo profiteor.



Dei majestatem. — Ejusmodi tentationes institutae finitae erant; alio modo diabolus saepissime eum tentaturus aggressus est (Luc. IV, 13).

Simulac Jesus tertia e tentatione victor evasit, angeli Dei adstitere illi servientes. Si quaeris, qua cum re ei servierint, nos, Scriptura sacra quum nil doceat de hac re, id solum memoremus, necesse est, eos Dei gratiae et amoris, quod exspectavit et desideravit Jesus in sua calamitate, signum fuisse. Quare illi a Satana destituto, de Dei Patris gratia certior facto statim opus erat corporis alimentis? — Ipsa tentatione probatus atque firmatus, Spiritu Sancto impletus, Jesus prodiit e solitudine in vitam publicam ut exsequeretur munus Messiae et opus Salvatoris.

Alter Adam in paradiso tentatus defecit a Deo, alter in solitudine perseveravit in obedientia. Alterius defectionem mors secuta est, alterius obedientiam post mortem resurrectio. „Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, per unius obedientiam justii constituentur multi“ (Rom. V, 19). Pro nobis enim, ut nos flamus justii, tentatus est Christus. Neque vero ita, ut nos, illo tentato et probato, omni tentatione liberati simus, sed ita, ut, qui humanam naturam ἀσθενεῖαις affectam assumpsisset, soluturus poenas peccati atque Dei irae satisfactorus, nec poenas solvere nec Dei irae satisfacere posset, nisi per totam vitam Dei Filius probatus spectatusque, qui esset homo aequae tentationibus subjectus ac in illis obediens et justus cognitus. Ipsae tentationes a vita, a passione, a morte Jesu Christi sejungi non possunt. Idem est pati atque tentari, idem etiam Filium Dei humana natura his in terris indutum esse atque tentari. Tentatio itaque Jesu vicaria fuit. Καίπερ ὡν νόος, ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθεν τὴν ὑπακοήν, καὶ τελειωθείς ἐγένετο τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσι αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου. Ἐχοντες οὖν ἀρχιερέα μέγαν, Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, κρατῶμεν τῆς ἡμολογίας.

Jam finem facturi commentationi nostrae amplius quam in animo fuit productae speramus, fore ut, — contentione et comparatione inter Jesu Christi tentationem in solitudine peractam atque inter totam, quae ad tentationes pertineat, Jesu vitam factam, — facile intelligatur ac perspicatur, relationem nostram non modo

totam concinere ac convenire cum omnibus, quae nobis sint relatae, Jesu tentationibus, neque minus cum iis, quatenus peccato liberae et vacuae sint, hominum, sed etiam, ubi differat, neque repugnare Jesu naturae, neque absonam esse cuilibet Sacrae Scripturae doctrinae. — Veram esse relationem, igitur tenendum est ab iis, qui Scripturam sacram sincera amplectuntur fide; negari ab iis solummodo potest, qui, quomodo Jesus degerit vitam, passus, mortuus sit, per fabulam superstitione aut aniliter inventam narrari, miro errore capti opinantur. Fabula mythica esse non potest narratio, quae, quamvis res intellectu difficillimas atque aliqua ex parte hominibus obscuras imperspicuasque tractet, congruat non solum cum omni Jesu Christi vita et persona, quatenus humano intellectui pateant, verum etiam nos doceat rem, qua, quae evangelistae de Jesu vita narravere, aptissime possint compleri. — Neque cum nimia mei fiducia mihi egisse videor contendens, vix fieri posse, quin diligenter perlustrata commentatione nostra, si quis coactum semet ipse intellexerit aut veram historiam aut fabulam mythicam esse habendam illam nostram narrationem, quin, inquam, concedat eam veram esse vel aequae mysteriorum plenam et fidei apertam atque omnem Jesu Christi personam et sacrae Scripturae doctrinam. Denique etiam mihi monendum est me sat habere compertum, de ipsa tentatione in solitudine peracta saepenumero a viris doctissimis et veteris et recentioris aevi, quorum rationem non habui, esse disputatum, multa etiam ad rem ipsam uberius tractandam posse proferri, quae aut me fugere aut fine, quem certo mihi posui consilio, aliena fuere. At mihi jam sat superque sufficit, si viris rem considerate reputantibus persuasi unam illam quaestionem „num, quae de tentatione in solitudine peracta sint narrata, quaque ratione cum Scripturae sacrae doctrina et Novi Testamenti de Jesu vita narratione convenient“ a me satis dilucide esse pertractatam, ita ut illa convenientia negari amplius non possit.

### EMENDANDA:

- Pag. 9 (sub *b.*) legendum est „non esse“ loco „esse non“  
— 16 lin. 7 leg. est „immoderatam“ loco „immodaratam“  
— 17 — 12 — — „ἀναμαρτησία“ loco „ἀναμαρτασία“  
— 27 — 22 — — „Attamen nec propter“ loco „Attamen propter“  
— 27 Nota — — „liberi arbitrii“ loco „liberii arbitrii“  
— 28 lin. 18 — — „illasque“ loco „et illasque“  
— 33 — 17 — — „Victrix“ loco „Vitrix“  
— 38 — 17 — — „morti“ loco „morte“  
— 38 — 31 — — „concup.“ loco „consc.“

### Sententiae controversae.

---

1. Notio τοῦ λόγου ex philosophia Alexandrina non est exorta.
  2. Litterae Pauli quae nominantur pastorales uno eodemque temporis spatio duorum annorum sunt scriptae.
  3. Epistola ad Hebraeos a Luca est conscripta.
  4. Theologia disciplina et ars est e solida vocis vi.
  5. Qui negat Jesum Christum esse Filium Dei ab intellectu historiae abest.
  6. Eorum, qui nihil esse nisi materiam dicunt, ratio, quam materialismi nomine nuncupant, incultum et eruditionis expertem signat hominem.
-